De libris p. D. Hadek
teologi ... [illegible]
in seminario.

ANTIQVITATES
ALMAE VRBIS
ROMÆ.

Ab Andrea Palladio
Ex varijs Auctoribus collectæ,
& ab ipsomet dimensæ.

Addito discursu super struendis
focis antiquorum.

CVM PRIVILEGIO.



ROMÆ M.DCXVIII.

Ex Typographia Cameræ Apostolicæ.
SVPERIORVM PERMISSV.

Sumptibus Hieronymi Bonæ.

Ad Lectores.

Notissimum est apud omnes, Romanos rerum Dominos multo plura gessisse belli domiq, quam quæ monumentis literarum ab illustribus sit traditum scriptoribus, & illustriora quoque construxisse ædificia, ad æternam existimantes duratura rei memoriam, quam quæ hodie eorum extant vestigia. Bella etenim, incendia, & vetustas ea omnino fere consumpsit. Quod quidem ego animaduertens cum sciam quo desiderio omnes fere teneantur sciendi Romanas opes, potentiam, & celeberrima antiquitatis monumenta, præsentem libellum, tàm ex antiquis quàm recentioribus auctoribus collectum, confeci. neque mihi collegiße satis fuit; immo præsens inspexi, & dimensus sum omnia quæ extant eorum vestigia. Auctores autem ex quibus ea collegi, sunt Dionysius Halycarnasseus, Titus Liuius, Plinius, Plutarchus, Appianus Alexandrinus, Valerius Maximus, Eutropius, Blondus, Fuluius Vrsinus, Faunus, & Marlianus. Fruere ergo Lector humanissimè hoc meo labore, & libellum perlege, si vere cupis animum tuum, cum non potes oculos, satis abundè quod pauca extent, tàm amplis, ac magnificis Romanæ antiquitatis monumentis pascere & oblectare.

De ædificatione Almæ Vrbis.

ROMA iacet in Latio ad Ripam Tiberis, quindecim milliaribus à mari Tyrrheno. ædificata fuit anno 4447. post destructionem Troiæ 405. die 20. Aprilis à Romulo à quo nomen accepit, & Remo gemellis fratribus, vnico partu editis ab Ilia siue Rhea Syluia Numitoris Regis Albani filia. Hunc Regem Amulius frater natu minor regno pepulit, ipsiq; per fraudem successit. & vt fratris stirpis spes omnis tolleretur, Syluiam eius filiam Vestalem fecit Vestæq; consecrauit. Verùm ista paucos post dies vterum gessit, & vt diuinitati tantæ Vrbis primordium tribuatur, Mars asseritur, sed fabulosè, à multis conceptus auctor. Hæc igitur vnico vt dixi partu duos edidit, quos Amulius rei certior factus vt mergerentur ad Tiberim iussit exponi; sed ad infantũ vagitum Lupa accurrit, eorumq; miserata, lac vt proprijs catulis præbuit. fortè transijt pastor, Faustulus dicebatur. hic gemellos sustulit, domumq; adduxit nutriendos ab Acca Laurentia eius cõiuge, ibiq; inter pastores educabantur. ætate cũ aliquantum processissent, didicerunt cum pastoribus prædas agere ex alieno, & raptu viuere. quocirca Remus captus reus ad Regẽ Amulium adducitur, tanquam qui raperet pecora Numitoris fratris. quòcirca eidem fratri, Amulij iussu sistitur vt de eo pœnas repeteret. Numitor igitur cum diligentius adolescentem esset intuitus, animaduertit in eo speciem nobili genere dignam, sensitq; sibi ab eius aspectu commoueri viscera, tandemq; cum ex Faustulo cognouit adolescentum originem, agnouit suos esse nepotes. quòcirca viribus cum illis cõiunctis fratrem Amulium aggressus occidit, regnumq; pristinum recuperauit. Romulus deinde, & Remus Vrbem ædificare cõstituunt ad ripam fluminis Tiberis vbi fuerunt educati. quam primum quadratã extruxerũt. cum autem inter eos non conueniret vter eorum Vrbi nomen imponeret, ad iurgia progressi, Romulus Remum interfecit, Vrbemq; à suo nomine Romam appellauit. dicitur tunc fuisse 28 annorum. Verum cum fœminis carerẽt ad procreandos liberos, quatuor vel aliquot post menses, ad finitimas Vrbes & oppida miserunt rogatum si vellint cum illis inire connubia. quod cum eis ab omnibus negaretur indixit Romulus ad 7. Septembris ludos & spectacula, Consualia

lia

lia dicebantur. ad ea promiſcui viri fœminæq; ſpectatum curioſius aduenerunt. ludis cœptis, ad ſignum datum omnes quas potuerunt puellas rapuere Virgines, quæ primoribus ciuitatis fuerunt in matrimonium datæ, indeq; creuit Vrbs. ferunt fuiſſe puellas 683. Ex eiſdem dein primoribus, Romulus elegit centum, quos ob ſenectutem Senatores appellauit, & Patres, ex eorumq; ſtirpe nati patritij appellabantur. Partitus quoque eſt iuuentutem omnē in militares ordines. ex quibus elegit tres equitum Centurias, quas auxit Tarquinius. fortiſſimos item ad ſuam etiam tutelam & corporis cuſtodiam, ex ſpectatiſſimis elegit armatos milites, Celeres appellauit, quos tàm in bello habuit, quàm in pace, multitudini gratior fuit quam Patribus. maximæ militum animis acceptiſſimus, quibus cum prælia nonnulla geſſit victoriamq; à finitimis hoſtibus, & opima ſpolia reportauit; ita vt pacem deinde tutā in quadraginta annos haberet. quibus & plebem quoque diuiſit in 35 Curias, & leges aliquot tulit. inter quas fuit hæc, vt nullus vnquam Romanus artem exerceret ſedentariam, ſed vel agrum coleret, vel militiam ſequeretur. minores quoque ex plebe infima maioribus commendabat, hos patronos illos clientes dicebat. Tandem in campo Martio ad paludem Capræ interim dum luſtrat milites, repente cohorta tempeſtate ſublatus fuit, & nunquā amplius viſus. ætatis agebat tum quinquageſimum ſextum, cum 37. regnaſſet annos, nulla ex ſe ſtirpe relicta. Reliquit in Vrbe à ſe condita 46 millia peditum, & mille ferè equites, cum militiam cœpiſſet tribus peditum millibus, & equitibus 300. Alba maxima ex parte oriundis, nam hi cum primis Romanis hiſce ſe coniunxerant. Romulus igitur Vrbis fundator & Imperij Romani primus fuit Rex Romanorum, quam deinde ſex ordine Reges ſunt conſequuti: poſtremus fuit Tarquinius Superbus. qui Roma pulſus fuit, quod Sextus eius filius Lucretiam inſignem caſtitate fœminam violaſſet inuitā. Regnarunt hi Reges annis 243. quorum imperium vix vltra 15. milliaria protendebatur. Regno ſublato, & omnino inuiſo, inſtituerunt deinde, vt non vnus, ſed plures gubernarent, & horum magiſtratus, vt Regum, non eſſet perpetuus. quare in annos ſingulos binos crearunt Conſules, & poſt hos Decemuiros. ſed horum magiſtratus vix exceſſit biennium. Crearunt etiam poſt hos, Tribunos Militum qui Conſulari imperio Reipublicæ præeſſent, ſed iterum reditum ad Conſules. Creabatur quoque nonnunquam Dictator, qui etiam Conſulibus imperabat, ſed nonniſi periculoſo Reipubl. tempore, & bello ali-

quo grauissimo vrgente. qui statim eo confecto, magistratu se abdicabat, donec Iulius Cæsar perpetuam hanc Dictaturam retinuit, & fuit idcirco primus Romanorum Imperator.

De ambitu, vel circuitu Vrbis Romæ.

ROma, regnante Romulo, qui Vrbem quadratam fecerat, complectebatur montes tantum Capitolinum, & Palatinum, & valles inter hos montes iacentes, habebatq; tres tantummodo Portas. Trigonia vna dicebatur quod esset triangularis, eratq; hæc ad radices montis Palatini. Altera dicebatur Pandana quod perpetuo pateret, idcirco etiam libera vocabatur ob commoditatem ingressus eius & egressus. Carmētalis appellabatur tertia, à Carmenta matre Euandri quæ locum olim incoluerat. & dicta fuit etiam scelerata, quod 300 Fabij hac egressi, fuerunt omnes, vno excepto spe prolis internecione deleti. Pace deinde cum Sabinis inita, & his in ciuitatem Romanā admissis, & Alba ferme deleta, ex eius ruinis creuit ciuitas, Cælius mōs additus sub Tullio, Auētinus sub Anco, & Ianiculus Vrbi additus Pōte Sublicio. Quirinalis sub Ser. Tul. & fuit eius ambitus productus, propterea quod populū ingentē quotidie etiam ex alijs locis ad eam aduentantem, ita vt necesse fuerit Colonias alio deducere, nō caperet. Tarquinius Superbus splendidius cœpit Vrbē ædeficare lapidibus sectis, & marmoreis. nam muro lapideo Vrbem cinxit, fossis & muro Seruius Tullius, & paulatim ita creuit, vt cum primum duos, postea septem complecteretur montes. dicitur tamen Augustus cum eam reperisset lateritiam, fecisse marmoream. & ad eum splendorē excreuit, vt tempore Claudij Imperatoris 633 numerarentur turres, porticuum 22 millia. Quo ad totum ambitum, quantum complectebatur non cōuenit inter auctores Quidam enim aiunt circuitum eius fuisse 50 mill. passuum, alij 32. alij 28. Nunc hac nostra ætate vnà cum regione Transtiberina, & Burgo S. Petri 16. milliaria tantum complectitur.

Portæ Vrbis.

POrtæ Vrbis prout variè Vrbs fuit instaurata, & mænia, varia etiam commutarunt nomina, quædam tamen sua antiqua conseruarunt. Omnes erant constructæ ex quadrato lapide, & viæ silicibus cōstratæ, præferebant nomina Cōsularia, cēsoria, prætoria, & triumphalia, prout eas vel Consules, vel Censoresconstruxerant. Portæ triumphales, vt viæ, maiori splendore & impensa fuere ædificatæ. nam nullis parcētes impensis Romani, vias huiusmodi

com-

complanarunt, deprimendo montes, & valles implendo, vt ita directum iter esset triumphantibus, locis etiam ad spectandum accommodatis, & fontibus ad reficiendum, æquabili ordine & locorum distantia, stratis firmiter lapidibus quorum etiamnum extant vestigia. De numero autem Portarum, & nominibus auctores variant. quidam enim triginta, quidam 24 fuisse ferunt. Nunc 18 tantum numerantur patentque, quæ septem includunt mõtes. estq; Vrbs tota in quatuordecim diuisa regiones.

Præcipua porta est quæ modo Populi, olim Flumentana & Flaminia dicebatur, retinetq; adhuc nomen.


Pinciana & Collatina distat à Flumentana pass. mille.

Salaria, Quirinalis olim siue Agonensis & Collina. Hac ingressi fuere olim Galli Senones quando Romam diripuerunt. Annibal quoque hic secus fluuium castra posuit distantia ab Vrbe tribus millibus passuum. sex stadijs hæc distat à Collatina.

Porta nunc Pia siue S. Agnetis, olim Numentana, Ficulnensis, Viminalis, abest à Collatina quinque stadijs.

S. Laurentij, olim Tiburtina.

Maior, Lauicana olim & Neuia.



S. Ioannis, Cælimontana, Asinaria, à Næuia 8 stadijs distans.
Latina, olim Forentina.

S. Sebastiani, Capena olim, & Appia, quia Appius Censor eam muniuit, ducebat Brundusium vsque silicibus strata. Triumphalis etiam dicebatur quod per eam triumphantes agmen ducerent. Fontinalis quoque à fontium vbertate. Hac ingressus est Horatius Victor à Curiatijs.

S. Pauli, Ostiensis olim, & Tergemina, quod per eam egressi fuerint tres Horatij.

Ripæ, olim Portuensis.

S. Pancratij, Aurelia olim. Septimiana, Fontinalis quoque olim, quia è monte aureo cui adiacet fontes scatent. ab Aurelia distat stadijs quatuor.

Turrionis, Posterula olim.

Pertusa retro S. Petrum.

S. Spiritus inchoata. Meminerunt aliqui etiã Portæ Exquilinæ.

Viæ Romanæ.

VIgintinouem numerant quidam Vias Vrbis Romę pręcipuas, quæque portam habebat suam. C. Gracchus eas direxit, & strauit, sed omnium fere celeberrima fuit Appia, quam Appius Claudius Censor strauit à Porta S. Sebastiani siue Capena Capuã vsque, euersam Traianus instaurauit, & Brundusium vsque perduxit. Hæc viarum omnium regina dicebatur, quoniam ea Vrbem ingrediebantur triumphantes.

Flaminia hanc strauit C. Flaminius Consul à Porta Populi Ariminum vsque. dicebaturq; Via lata quoniam ad Capitolium vsque excurrebat.

Lauicana est exeuntibus è Porta maiori dextera. Prænestina ex eadem Porta sinistra.

Tiburtina est extra portam S. Laurentij.

Latina extra portam Latinam.

Ostiensis extra portam Ostiensem.

Salaria extra portam Salariam.

Æmilia, hanc strauerunt Lepidus, & C. Flaminius Consules Bononiam vsque.

Alta semita à monte Quirinali excurrebat ad portã hodie Piam.

Suburra ab Amphitheatro ad S. Luciam in Orphea.

Via sacra ab Arcu Constantini per Arcum Titi pertingebat, vsque ad Capitolium, vel à Capitolio ad Arcum Titi.

Trium-

Triumphalis à Vaticano per Tiberim ad Capitolium.
Aurelia à porta S. Pancratij.
Vitellia secundum aliquos, à Ianiculo ad mare.
Recta in Campo Martio.

Pontes.

OCto Pontes fuerunt super Tiberim, quorum duo sunt destructi, Sublicius videlicet, & Triumphalis. Sublicius erat ad radices mõtis Auentini vbi adhuc visuntur eius vestigia. hunc è ligno fecerat Ancus Marcius, destructũ deinde cum Horatius Cocles sustinuit Hetruscorum impetum, refecit Aemilius Lepidus è lapide, & Aemilium à suo nomine dixit. Impetu denuo inundantis Tiberis euersum instaurauit Tiberius Imperator. tandem è marmore fecit Antoninus Pius. ex hoc rei dabantur præcipites. fuitq; omnium Pontium primus quo transibatur Tiberis.

Triumphalis erat prope Hospitale S. Spiritus vbi etiam adhuc visuntur eius vestigia. huc transibant triumphantes à Vaticano ad Capitolium.

Pons S. Mariæ dicebatur olim Senatorius. euersum à flumine refecerat Gregorius xiij. nunc denuo est ab eiusdem fluminis eruptione destructus, vtinam alter Pontifex reficeret ad commoditatem Vrbis.

Pons quatuor capitum, ita dictus à lapide qui præferebat quatuor capita, dicebatur Tarpeius. Lucius Fabritius Ædilis extruxit.

S. Bartholomæi dicebatur Cæstius. Valens, & Valentinianus refecerunt.

S. Angeli dicebatur Pons Aelius, ab Aelio Hadriano Imperatore qui eum extruxit. Nicolaus v. Pontifex in eam quam videmus formam reduxit.

Pons Miluius extra Portam Populi duobus miliaribus. Aelius Scaurus ædificauit. nihil habet ex antiquo præter fundamenta. Hic Constantinus superauit Maxentium tyrannum in flumine demersum, viditq;, antequam cum eo manus consereret, Crucem in aëre his verbis, In hoc signo vinces.

Tribus ab Vrbe passuũ millibus est Pons vulgo Salaro, ita dicto à via. est antiquissimus, cui subterfluit Anio qui Sabinos diuidit à Romanis. estq; eius aqua ad potum salubris. Hunc pontẽ Narses tempore Iustiniani Imperatoris instaurauit post victoriam à Gothis reportatam, nam Totila eum destruxerat.

Est item super Anienem Pons dictus Mãmulus à Mammea ma-

tre Alexandri Seueri Imperatoris ſapientiſſima fœmina, quæ eum ab Antonino Pio extructum inſtaurauit. eſt Pons antiquiſſimus, diſtatq; ab Vrbe tribus quoque miliaribus.

Inſula Tiberina.

ROmani pulſo Roma Tarquinio Superbo, in deteſtationē eius criminis, frumentum eiuſdem quod adhuc recens in Campo Martio meſſuerant, proiecerunt in flumen Tiberim, quod æſtate præ aquæ inopia vado adhæſit. & adiunctum limo, vt fit, paruam fecit inſulam, quæ deinde opera & induſtria hominum creuit in eam amplitudinem vt multa ædificia, & aliquot templa ſuſtineat. Lycaonia dicebatur, quod Ioui Lycaonio eſſet ſacra, qui ibi habebat templum quod hodie eſt S. Bartholomæi, vt etiam Aeſculapius, quod eſt nunc S. Ioannis Collybitæ. Refert inſula figu-



ram nauis ſiue triremis, ab vna parte exhibet puppim ab altera proram. longitudo eſt quarta pars miliaris, latitudo 50 paſſuum.

Mon-

Montes.

SEptem sunt Montes quibus Vrbs Roma est superædificata, Capitolinus videlicet, Palatinus, Auentinus, Cælius, Esquilinus, Viminalis, & Quirinalis.

Mons Capitolinus, dicebatur & Tarpeius, seu etiam Saturninus, vulgo dicitur Campidoglio, corrupto vocabulo à Capitolio. hic plurima erant Deorum Templa. 60 numerabãtur. inter quæ præcipuum erat Iouis Opt. Max in quod ingrediebantur triumphantes, ibiq; vota persoluebant & munera.

Palatinus, vulgo hodie Palatium maius, est vbi nunc sunt Horti Farnesiani. circuitus eius fertur vnius milliaris. Romulus hic pri-



mam fecit Vrbem, nam hic ad radices eius fuit educatus. Heliogabalus totum strauit lapide porphyretico.

Auentinus, siue Querquetulanus, ambitus eius est duorum milliarium, est vbi nunc est ecclesia S. Sabinæ, S. Alexij, S. Priscæ.

Cælius

Cælius est vbi est ecclesia S. Ioannis & Pauli, S. Stephani vulgo rotundi.

Esquilinus seu Cespius, est vbi nunc est ecclesia S. Mariæ Maioris, S. Petri ad Vincula.

Viminalis est, vbi est ecclesia S. Laurentij in pane & perna, & S. Potentianæ.

Quirinalis, vulgò hodie mons Caballus ab equorum simulachris ibi positis.

Sunt præterea alij montes præter hos septem præcipuos, Ianiculus, vulgò mons Aureus, vbi est ecclesia S. Petri vulgò montis Aurei, vel Montorij.

Huic est contiguus, imò quidam volunt esse eundem, mons Vaticanus, vbi est Templum S. Petri. quidam etiam volunt hunc Ianiculum excurrere ad pontem fere Miluium.

Pincius siue Collis Hortulorum, vbi est ecclesia sanctissimæ Trinitatis, vocatur vulgò Trinitas Montium, dicitur excurrere à porta Salaria ad portam Populi vsque. Hac descendebant Candidati in Campum Martium ad ambiendos magistratus.

Mons Citorius, olim dictus Citatorius, ita appellatus quòd hic citarentur Tribus ad ferenda suffragia.

Mons Iordanus, nomen accepit à Iordano Vrsino qui hunc incolebat, vt etiam hodie Illustrissima Vrsinorum familia, habentq; hic suum Palatium.

Mons Testaceus.

MOns Testaceus, est propè portam S. Pauli. Hic creuit ex testis vasorum fictilium. neque hoc mirum, nam figuli locũ hũc incolebant, quorũ hic erat ingens numerus. nã plurimus erat apud Romanos horum vasorum vsus. nam præter Deorum simulachra, quorũ plurima fiebant ex argilla, etiam omnia vasa quibus condebantur mortuorum cineres etiam ex creta fiebant. Chorœbus Athenieñ dicitur eius artis repertor.

Aquæ variæ, & quis eas Romam conduxit.

NOuemdecim fuerunt Aquæ Romam conductæ, sed omnium celeberrimæ fuerunt Martia, Claudia, Appia, hæc est omnium prima quæ fuit Romam adducta, Anienis veteris, & nouæ, aqua Virgo, Alsietina. Martiam, siue Aufeiam, Quintus Martius Romam perduxit, accepit eã ex lacu Fucino 37 millibus passuum Roma distantem. Agrippa aquæductum restituit. Claudiam conduxit

duxit Romam Claudius Imperator ex duobus fontibus, Ceruleo videlicet, & Curtio Roma distantibus 34 miliaribus propè Sublacum, eius aquæductum destructum, Vespasianus, T. Aurelius, & Antoninus Pius restituerunt, vt videre est in inscriptionibus Portæ Maioris. Appiam App. Claudius Censor octo miliaribus Roma distantem accepit ex agro Tusculano. Ex eodem agro acceperunt etiam Tepulam Seruilius Cepio, & T. Cassius Longinus Censores vndecim miliar. Roma distantem, eamq; conduxerunt in Capitolium. Iuliam Agrippa accepit à Tepula Anienis veteris M. Curtius, & L. Publius Censores acceperunt vltra Tibur 20. milliaribus Roma distantem. Anienis nouæ Iulius Frontinus ædilis accepit propè Sublacum, 20 millibus pass. Roma distantem. Virginem Agrippa Ædilis accepit in via Prænestina, 8 miliaribus Roma distantem. fluit hodie & manat copiosè è fonte vulgò Treui. Nicolaus V. restituit. Alsietinam Augustus Romam conduxit ex lacu Alsietino, 14 millibus passuum Roma distantem. Hanc cum iamdiù defecisset, Romam reduxit impensa sanè laudanda Paulus V. Pont. Max. seruitq; vt olim Regioni Transtiberinæ. Fuerunt præterea aliæ Aquæ, vt Iuturna prope S. Georgium in Velabro vbi mulieres abluunt pannos. hæc lacum faciebat prope templum Deæ Vestæ vbi nunc est ecclesia S. Syluestri in lacu. Fuit præterea aqua Sabbatina. hæc manabat è fonte apud S. Petrũ, sed æstate præsertim desinebat fluere. nunc manat copiosè, quod Paulus V. addidit ei aquam vt diximus Alsietinam. fuerunt etiã aliquæ aquæ quæ à suis vel inuentoribus vel conductoribus nomen mutuabantur, vt aqua Traiana à Traiano Imp., Septimia à Septimio, Drusa à Druso, Alexandrina ab Alexandro Imp.

Aquæductus.

SEptem fuerunt Romæ Aquæductus. omniũ celeberrimus fuit quo ducebatur aqua Martia. huius vestigia visuntur apud S. Laurentium extra muros, & prope portam Maiorem. Aquæductus Claudiæ producebatur à Porta Maiore ad ecclesiam S. Ioannis Laterani, & per montem Cælium in Auentinum vsque. & etiamnunc extant eius arcus centum pedes alti. opus inchoauit Cæsar, perfecit Claudius. Stetit millione, & tercentum nonagintaquinque millibus aureis. Caracalla deinde conduxit in Capitolium, adhuc videntur eius vestigia propè Xenodochiũ. Aquæ Appiæ quoque cernuntur vestigia aliqua prope montẽ Testaceũ, & alia prope arcum Titi. Aquæ Iuliæ vestigia quoque visuntur prope Portam Maiorem, propè ductum aquæ Martium. De

De Cloaca omnium maxima.

CLoaca omnium maxima erat propè Pontem Senatorium vulgò S. Maria. Tarquinius Superbus extruxit. erat tam ampla vt currum cum equis facilè caperet. Nos dimenſi ſumus, & reperimus latitudinem eius eſſe ſexdecim pedes. Huc confluebant reliquæ omnes Cloacæ. hinc fiebat vt piſces vulgo lupi, ibi inter Pontem Sublicium & Senatoriũ enutriti, eſſent omniũ optimi, propterea quod nutrirentur illa colluuie, quæ per Cloacã deriuabat.

Septem aulæ, vulgò ſeptem Salæ.

PRopè Thermas Traiani ſunt nouem veluti ciſternæ ſubterraneæ, vulgò dicuntur Septem aulæ. ſingularum latitudo eſt pedum 17 cum dimidio, altitudo 12 longitudo 137. Veſpaſianus Cæſar conſtruxit pro Collegio Pontificum, vt conſtat ex inſcriptione ibidem reperta, quæ ſic habet

IMP. VESPASIANVS AVG. PRO COLLEGIO PONTIFICVM FECIT.



TERMAE ALESSANDRI SEVERI

Thermæ siue Balnea, & qui ædificarunt.

THermæ erant loca amplissima, abluendis & reficiendis corporibus instituta, Habebant amplissimas porticus. Pauimenta erant marmore strata. Parietes dealbati seu marmore incrustati, seu obducti cum maximis columnis, quæ arcus ingentes sustinebant. fueruntq; Romæ huiusmodi Thermæ plurimæ, inter quas celebrantur Alexandrinæ & Neronianæ, ab Alexandro Seuero & Nerone constructæ. videnturq; retro S. Eustachium earum vestigia. Agrippinæ quas construxit Agrippa, erant inter templũ Pantheon, vulgò Rotundam, & Mineruam. cernuntur ibi in loco, vulgò Ciambella, adhuc earum vestigia. Antonianæ quas inchoauit Antonius Cara calla, & perfecit Alexander, sunt in monte Auentino, extant amplissima adhuc earum vestigia. Hæ cũ Diocletianis quæ sunt in monte Viminali sunt amplissimæ earum quæ



extant pulcherrimis marmoribus, & columnis ingentibus, quæ adhuc cernuntur instructæ vbi nunc Templum, & Cœnobiũ Carthusianorum. 40 millia Christianorum dicuntur huic ædificio

strue-

ſtruendo damnata. Aurelianæ conſtructæ ab Aurelio Imperatore, fuerunt in Regione Tranſtiberina etiamnum earum quoque extat veſtigia. Cōſtantinianæ erant in monte Quirinali. nuper veſtigia quæ extabant fuere deiecta ad extruendū ædificium ampliſſimum quod Cardinalis Burgheſius inchoauit, perficit nunc Dux ab Altaemps. Domitianæ quas exſtruxit Domitianus, erant vbi nunc Monaſterium S. Syluestri, adhuc ſuperſunt veſtigia. Gordianæ ducentis pulcherrimis columnis inſtructæ, erant propè eccleſiam S. Euſebij. Nouatianæ vbi nunc eccleſia S. Potentianæ. Seuerianæ erant in monte quoque Auentino inter Portam S. Sebaſtiani, & S. Pauli. Septimianæ erant in Tranſtiberina pulcherrimis marmoribus, & columnis inſtructæ, quarum aliquæ ſunt in eccleſia S. Cæciliæ, aliæ S. Chryſogoni. Traianæ erant in monte Eſquilino propè eccleſiam S. Martini, & ab altera parte montis huius erant Philippi Imperatoris, etiamnunc ſuperſunt quædam veſtigia propè eccleſiam S. Matthæi. Titianæ erant vbi nunc horti S. Petri ad Vincula, videnturq; eorum ruinæ. Olimpiadæ fuerunt vbi Monaſterium S. Laurentij in pane & perna.

Naumachiæ vbi Nauales pugnæ edebantur.

NAumachiæ erant loca lacuum inſtar cauata, in quibus Romana iuuentus exercebatur ad prælium Nauale. Vna erat ſub Colle Hortulorū ſiue Trinitatis. Auguſtus fecerat, aliqui volunt fuiſſe à Domitiano factam. Altera erat ad radices Ianiculi, dicitur Nero eā ædificaſſe, ſed potius creditur Cæſar. Nero enim Naumachiam extruxiſſe fertur retrò templum S. Petri, vel potius ad latus vbi nunc S. Peregrini. nam etiamnum hodie dicitur S. Peregrinus in Naumachia. Meminerunt huius qui S. Petri hiſtoriam texunt.

Circus.

CIrcus erant plurimi, ſed quatuor præcipui, Maximus videlicet, Neronianus, Flaminius, & Agonalis. Erant loca vbi varia edebantur ſpectacula, agitationes taurorum, curſus equorum, & quadrigarum è carcere ad metam. Cingebantur locis editis vnde commodè ſedentes ſpectabant ludos huiuſmodi, & ſpectacula. Maximus erat inter Palatinum, & Auentinum, vulgò etiam vocatur Circus. hortus nunc eſt herbaceus conſitus. erat longus ſtadios tres, latus vnum, ſpecioſiſſimis & inauratis columnis inſtructus. Tarquinius Priſcus inſtruxerat. amplificarunt Cæſar, Octa-

Octauianus, & Heliogabalus capiebat ducentos sexaginta mille spectantes. Neronianus erat in Vaticano ad latus S. Petri vbi stetit aliquando Obeliscus.

Flaminius erat vbi nunc Ecclesia S. Catherinæ de Funarijs.

Agonius siue Agonalis, vbi nunc platea ampla Agone, vulgò Nauona, fuerunt prætere alij Circi intra & extra Vrbis mænia quorum vnus fuit extra Portam Maiorem, cernuntur eius ruinæ in vineis, & Monasterio S. Crucis in Ierusalem.

Alter fuit in colle vel sub Hortulorũ. At inter templum S. Sebastiani, & capitis vulgo Bouis, extat egregius ex quo eius formam licet conijcere. Antonius Caracalla dicitur extruxisse hic celebrabantur, vt volunt aliqui ludi quoque Olympici, ferturq; hic etiam S. Sebastianus sagittis confixus quare est locus visendus. Cernuntur Metæ non est locus vbi melius Circi forma spectatur quàm ibi.

Theatra quæ erant eiusq; ædificationes.




TRia fuerunt Romæ Theatra præcipua, Pompei, quod fuit primum Romæ constructum ex lapide, prius enim e ligno fiebant. Marcelli, & Cornelij Balbi.

Erant loca in quibus varia celebrabant festa, exhibebantur Comædiæ, & Repræsentationes, singula eorum capiebant octuaginta millia personarum.

Pompæi erat in acie vulgo Campi Floræ, vbi est Palatium Illustrissimæ Vrsinorum Familiæ. Marcelli quod Cæsar inchoauit, & perfecit Augustus, sub nomine Marcelli filij sororis suæ, erat vbi est Palatium Illustriss familiæ Sabellæ. Cornelij Balbi quod Claudius dedicauit Imperator erat propè Circum Flaminiũ.

Amphitheatra eiusq; ædificatores.

ERant amphitheatra loca in quibus edebantur ludi gladiatorij, & venationes ferarum. Duorum tantum hodie spectantur vestigia, amplissima quidem, vulgo Colisei a Colosso Neronis, qui



ibi olim extabat centum viginti saltem pedum, tantum enim se pingendum aliquando curauit. Non ita ampla, verum aliqua visuntur alterius, Statilij videlicet, in Monasterio s. Crucis in Hierusalem. Colosseum extruxit Vespasianus Imperator, sed Titus eius filius dedicauit, qua in dedicatione occisa fuere quinque millia ferarum varij generis. Pars eius quæ videtur est dimidio minor. Forinsecus extructum est lapide tyburtino, sed forma rotunda, intrinsecus est forma ouata, altitudo eius pertingit ad altitudinem Montis Cœlij capiebat octuagintaquinque millia personarum.

Fora Romana.

Fora fuere Romæ septemdecim, præcipua, videlicet, Boarium, Olitorium, Piscarium, Suarium, Salustium, Archimonium, Pistorum, Diocletiani, Palladium Exquilinum, Aenobarbi, Cæsaris, Augusti, Neruæ, Traiani. Sed omnium celeberrima fuere Forum Romanum, Cæsaris, Augusti, Neruæ, & Traiani. Romanum incipiebat ad radices Capitolij, vbi est Arcus Septimij. & exspatiebatur ad templum sanctorum Cosmæ & Damiani: hic plurima erant ornamenta. Erant Rostra vnde orationes habebantur ad populum. eratq; Templum Vestæ propè Templum nunc sanctæ Mariæ Liberatricis, eratq; Porticus ex marmore structa, octuaginta columnis stratis, quarum adhuc tres supersunt, sustinebatur, hæc e Capitolio excurrebat in Palatium. Forum Cæsaris fuit retro Porticum Faustinæ. Augusti, vbi nunc est Ecclesia s. Adriani, & ad Turrim hodie Comitum protendebatur. Neruæ fuit inter templum s. Adriani retro & s. Basilij. Nonnulla quæ supersunt vestigia Paulus V. deijcienda curauit, vt lapides essent in vsum aliorum ædificiorum quæ ipse Pontifex erigebat. Traiani erat propè Templum s. Mariæ Lauretanæ vbi est Columna eiusdem Traiani. Boarium erat inter Templum s. Georgij & s. Anastasiæ. Olitorium vbi est hodie Platea vulgo Montanara. Piscarium erat inter s. Mariam in Porticu, & s. Mariam Aegyptiacam. Suarium erat propè Ecclesia ss. Apostolorum, vbi est Ecclesia s. Nicolai. Archimonium erat vbi est Ecclesia s. Nicolai Archimonij. Salustium erat vbi Templum s. Susannæ: aliorum solum supersunt nomina & nulla vestigia.

Arcus Triumphalis.


TRiginta sex fuere huiusmodi Arcus Triumphales erigebanturq; ad honorem eorum qui Reipublicæ Romanæ subiecerant Regiones, Prouincias & Vrbes; sed hodie non extant nisi sex



tantum. Septimij Seueri est ad radices Capitolij, inscriptio indicat quas ob res præclare gestas fuit ei erecta. Victoriæ hinc inde sunt ibi sculptæ alatæ. cum trophæis Terra, Mariq; reportatis, exprimuntur quoque Vrbes quas expugnauit. Arcus Constantini est propè Colosseũ fuitq; erectus ei ob superatum Maxẽtium ad Pontem Miluium, est Arcus egregius. Arcus Titi fuit ei & patri Vespasiano erectus ob expugnatam Hierosolymã, ab vna parte videtur exculptus Titus in curru triumphali a quatuor equis tractus, præcedentibus lictoribus cum fascibus, ab altera parte spolia allata è templo Hierosolymitano, vt Candelabrum, Mensa, &c.

Arcus

Arcus qui eſt ad latus s. Georgij in Velabro erectus fuit Septimio Seuero a Boum mercatoribus & aurificibus. Hic etiam videtur Arcus Iani qui claudebatur tempore pacis aperiebatur autem



tempore belli. Illum qui vulgo dicitur Portugaliæ, ſtatuerunt Domitiano, & Galieno illum qui eſt prope s. Vitum è lapide Tyburtino.

Porticus.

CÆſar Auguſtus vnam exædificauit in Palatio varijs marmoribus, & picturis ornatam. Gordianus alteram in Campo Martio longam pedes duplicatos mille, admirandis columnis exornatam, Porticus Mercurij adhuc extāt veſtigia ad s. Angelum in foro Piſcario. Porticus Liuiæ erat vbi nūc ampliſsima Veſtigia Templi Pacis. Octauiæ ſororis Auguſti fuit apud Theatrum Marcelli vbi nunc Eccleſia s. Mariæ in Porticu. Porticus Fauſtinæ fuit vbi

nunc Ecclesia sancti Laurentij in Miranda, extant eius Vestigia.



Concordiæ supersunt adhuc octo Columnæ in foro Romano; alij volunt fuisse Templum, & alterius maioris supersunt ibidem tres Columnæ. Porticus Agrippæ est ante Templum Pantheon vulgo Rotundam.

Trophea & Columnæ.

TRophea illa quæ olim stabant apud s. Eusebium nunc autem translata in Capitolium statuta fuerunt ab honorandum C. Marium quod de Iugurtha & Cymbris reportauit victoriam, Columna illa quæ est apud s. Mariam Lauretanā ad cuius fastigiū ascenditur per cochleam, statuta fuit a Senatu, & dedicata gloriæ

Traiani

Traiani ob Parthos deuictos. Hanc ipse non vidit erectam nam in reditu obijt in Syria in Vrbe Seleucia; fueruntq; eius ossa in aurea Vrna recondita, & in eiusdem Columnæ collocata fuere fastigio: altitudo est 128. pedum. Cochlea per quam intro ascenditur habet gradus 123. & 44. fenestras. Egregiæ eius res gestæ maxime in Dacia exsculptæ cernuntur in eius exteriori ambitu. Sixtus Quintus anno 1588. ei imposuit æneam Statuam inauratam sancti Petri, & merito tanquam EcclesiæColumnæ. vt etiam s. Paulū alteram Ecclesiæ Columnam in altera Columna statuit in Mōte Citorio. Hæc erecta fuit Antonino Pio eiusq; res gestas tenet insculptas; altitudo huius est 161. pedum, cochlea item per quam ad eius summitatem ascenditur habet gradus 207. & fenestellas 56.

Erat præterea alia Columna Porphyretica etiā intus cochleata. Hanc Constantinus Constantinopolim transportandā curauit, in foroq; collocauit. Vbi etiam erat altera ex marmore Numidico altitudine 20. pedum. quam Pop. Rom. Iulio Cæsari tanquam Patri Patriæ insculptam consecrauit.

Colossi.

FVit in Capitolio Colossus Apollinis cuius altitudo pertingebat ad 30. cubitos. Stetit centum quadraginta talentis quem Lucullus e Ponto Romam transtulit. In Augusti Bibliotheca erat alter ex ære quinquaginta pedum.

In Templo Pacis erat præterea vnus altus centum & duos pedes, gestabatq; in capite septem radios quorum singuli erant 12. pedum cum dimidio.

In Campo Martio erat alter eiusdē altitudinis quem Claudius dedicauerat Ioui. fuitq; item Colossus Commodi ex ære 300. cubitorum caput eius adhuc cernitur in Capitolio.

Alter quoque fuit in ipso aditu domus aureæ Neronis altitudinis 120 pedum; ab hoc Amphiteatrum dicitur Colosseum.

Pyramides.



IVxta Portam s. Pauli est Pyramis, sepulchrum C. Cestij, & non Romuli, vt vulgo aiunt, perfectum fuit opus admirandũ spatio 300. dierum vt ex eius inscriptione constat,

Meta.

PRope Colosseum extat vestigium Metæ quæ dicebatur sudans.

Huic imposita erat Iouis statua Ænea, & tempore quo edebantur spectacula in Amphitheatro emittebat aquam ad sedandam sitim eorum, qui spectatum venerant.

Prope s Sebestiannm videtur fuisse altera ex lapide Tiburtino, vulgo hodie dicitur caput Bouis, creditur fuisse sepulcrum Cæciliæ Metellæ, vt apparet ex inscriptione, sunt qui existiment, mo-

uenturq; ratione s. Cæciliam fuisse ex hac nobilissima Metellorum familia, & sanctam Virginem habuisse hic loci aliquod ius, & Cæmeterium Calixti quod olim, vt quidam aiunt, dicebatur s. Cæciliæ fuisse in eius prædio.

Obelisci.

SEx fuere Romæ obelisci quorum duo erant in Circo Maximo. horum maior erat pedum 132. minor 88.

Alter fuit in Campo Martio pedum 72. & in Mausoleo Augusti fuerunt duo quadraginta duorum pedum prope s. Rocchum.

Hunc in partes diffractum & simul compactum; vt alios etiam confractos compactos erexit Sixtus Quintus. vt etiam alterum egregium de loco suo motum miro artificio statuit in foro Sancti Petri, cuius altitudo dicitur pedum 72. alij volunt 82. Hic Obeliscus in pila ænea continebat cineres Cæsaris, nunc ea ablata in eius locum substituit idem Sixtus Crucem æneam inauratam. Obelisci præterea minores fuere 42. hi vt etiam maiores, præter illum in foro s. Petri, sunt omnes notati literis Hieroglyphicis. Ex his minoribus extant tres, vnus in horto Magni Ducis Hetruriæ in Monte Pincio alter ante Ecclesiam s. Mauti. Tertius in horto amænissimo, & visendo Matthæorum in Monte Celio apud Nauicellam.

Statuæ.

INnumerabilis fere fuit statuarum & simulachrorum numerus Romæ tam peditum, quàm equitum, quorum hodie etiam extant plurimæ in varijs Principum Palatijs quamuis plures sunt destructæ. Equitum non est nisi vna insignis in Capitolio ex ære olim inaurato, est Marci Aurelij Imperatoris consuetum fuit apud Græcos statuas ponere nudas, apud Romanos pro maiori parte vestitas.

Marforius.

SImulachrum illud quod est in Capitolio ad dexteram equitis ænei, vulgo dicitur Marforius, creditur esse Iouis Panarij facti in memoriam eorum panum quos excubiæ Capitolinæ ne viderentur victu destituti proiecerunt in exercitum Gallorum Capito-

pitolium obsidentium. Alij volunt esse simulachrum fluminis Rheni, propterea pede altero premebat caput huius simulachri equus Domitiani Imperatoris æneus.

Equi.

QVatuor & viginti fuerunt equi inaurati, & ex ebore quatuor & nonaginta. Duos illos qui sunt in Monte Quirinali, qui ab illis dicitur Mons Caballus Romam trãsuexit Mithridates Rex Armeniæ, eosq; dono dedit Neroni Imperatori: alterum sculpsit Phidias, alterum Praxiteles sculptores eximij. Statuæ dicuntur referre Alexandrum Magnum quamuis alij velint esse Moderatores equorum, seu stabularios.

Bibliotheca.

SEptem & triginta fuerunt Romæ Bibliothecæ varijs marmoribus, & picturis instructæ, sed omnium celeberrimæ fuerunt Augusta, Gordiana, & Vlpia. Bibliothecam Augustam extruxit Augustus ex spolijs, & manubijs Illyricis: hic Libri erant tam Græci, quàm Latini fere innumeri. Gordianam construxit Gordianus, & sexaginta duobus millibus Voluminum instruxit. Vlpiam Bibliothecam ædificauit Adrianus prope Thermas Diocletianas, in eaq; erãt libri in quibus scribebantur Senatus Consulta. Bibliothecarum inuentor Romæ dicitur fuisse Asinius Pollio.

Horologia.

HOrologium quẽ primum vsi sunt Romani fuit Quadrans quo M. Valerius Messala subiugata Sicilia ab anno Vrbe condita 377. Catana Romam perduxit, vsiq; sunt hoc Horologij genere 99. annis. & post annos inde 219. Scipio Nasica inuenit Horologium hydraulicum quo horæ metiuntur non per defluxum arenæ, sed aquæ quæ paulatim defluens distinguebat, horas eratq; vtilior quadrante, nam hoc non nisi Sole lucente agnoscuntur horæ, illo quouis tempore etiam Sole latente.

Palatia.

AVgusti Palatium fuit in angulo fori Romani, alij volunt fuisse in Palatino qua parte respicit Circum maximum erat ornatum

natum varijs marmoribus, pulcherrimisq; columnis. Claudij fuit inter Amphitheatrũ & s. Petri ad Vincula amplitudine visendum. Hic etiam prope s. Petri ad Vincula fuit Palatium Vespasiani & Titi. Neruæ erat inter Turrim Comitum, & Militiæ. Traiani erat prope suum forum & Columnam. Antonini quoque erat prope eius Columnam, marmoribus & pulcherrimis lapidibus porphyreticis instructum. Caracallæ fuit apud eius Thermas eximijs quoque columnis & marmoribus ornatum. Decij fuit in Monte Viminali vbi nunc s. Laurentij in pane perna, hic s. Laurentius coram Decio fuit ad luctus in iudicium

Constantini fuit in Laterano. erant plurima alia quæ breuitatis causa omitto.

Domus aurea Neronis.

NEro occasione qua arsit maxima Vrbis pars nactus locum amplissimum ædificijs vacuum, extruxit domum, quæ à Palatino pertingebat ad Montem Cælium, & inde a s. Ioanne & Paulo excurrebat ad Exquilinum, ad Thermas vsque Diocletianas, eius aditus erat adeo amplus, & excelsus, vt caperet colossum altitudinis pedum centum viginti. Porticus eius erat triplex & erat longa vnum miliare. Hic vbi nunc amphitheatrum erant stagna Neronis.

De quibus Martialis.

Hic vbi conspicui venerabilis Amphitheatri
Erigitur moles, stagna Neronis erant.
Hic vbi sydereus propius videt astra Colossus
Et crescunt media pegmata celsa via.
Inuidiosa feri radiabant atria regis
Vnaq; iam tota stabat in Vrbe domus.

Itaque Vrbis instar complectebatur lacus, & varia ædificia, Vineas quoque, pascua, & syluas & in his varia animalia tam fera, quam cicura & domestica. Tota hæc domus auro obducta, varijs fuit gemmis ac lapidibus pretiosis distincta, Aularum tabulata erant eburnea, impensa ingenti elaborata, & ita artificiose mouebantur in gyrum, vt per canales suaues emitterent in conuiuantes & flores, & odores. Præcipua aula erat forma rotunda & orbis cælestis instar voluebatur in circuitum. Arsit deinde domus superba hæc Traiani Imperio flamma quæ subito eam corripuerat & redacta fuit in cineres, pars frontispicij quæ

cerni-

cernitur prope Quirinalem Montem, dicitur fuisse huius Domus.

Domus.

MIlle septingenti & nonaginta domus amplissimæ ciuiũ dicũtur fuisse Romæ sũmo splendore ac magnificentia instructæ, sed harum celeberrimæ fuere domus Romuli. hæc fuit in Palatio, sine Columnis & marmoribus, stetitq; per aliquot secula: nã huic instaurandæ si aliquid pre vetustate collaberetur nonnullos præfecerant, qui nihil noui & adderent, sed tantum quod collapsum erat restituerent. Domus Scipionis Africani fuit prope s. Georgiũ. In Quirinali erant domus Flauia & Cornelia, vt etiam Pomponij Attici summo splendore, ac magnificentia exædificatæ. In Viminali erant M. Crassi, Q. Catuli, & Aquilini varijs marmoribus & pulcherrimis columnis exornatæ quarum etiam nunc cernuntur aliqua vestigia prope s. Susanam. Crassus omnium primum Romam ad domum suam struendam & instruendam columnas peregre adduxit. Domus Seueri erat prope Arcum Titi in dorso Montis Palatini eius Porticus Columnæ marmoreæ altæ erant 24. pedũ. Mamurræ Domus fuit in Monte Cælio & primus Romæ domus suæ parietes conuestiuit lapidibus marmoreis sectis. Gordiani Imperatoris fuit prope Ecclesiam s. Eusebij ducentis eximijs columnis ornata. In Monte Palatino fuere domus Catilinæ, Catulli, & Ciceronis, Virgilij in Exquilino, Ouidij prope Hospitale Consolationis. P. Clodius suam domum coëmit quadraginta millibus sestertiorum.

Curiæ & quales erant.

QVinque & triginta fuerunt Romæ Curiæ erantq; duplicis generis in quibusdam Sacerdotes procurabant res sacras, in alijs Senatores agebant de republica: Omnium celeberrimæ fuerunt Curia vetus, hæc stetit vbi nunc sancti Petri ad Vincula hic explorabantur auguria: Hostiliæ fuere duæ, vna prope forum, altera, vbi nunc Templum ss. Ioannis & Pauli. Calabra erat in Capitolio, vbi nunc Salinæ & Carcer; hic Pontifex minor annunciabat populo dies festos. Pompeiana fuit in acie vulgo Campi floræ retro Vrsinorum Palatium & quoniam hic fuit interfectus Cæsar destructa fuit nec vnquam refecta.

Senatula & quæ.

TRia fuere Senatula, seu Senacula. erant loca vbi Senatores conueniebant vt aliquid de Republica statuerent, vel cōsultarent. Vnum erat inter Capitolium, & forum, in Templo Concordiæ, alterum ad Portam Capenam. Tertium circa Templum Bellonæ in Circo Flaminio vbi admittebant Legatos quos nolebant admittere in Vrbem, quod aduenerāt ex Prouincijs inimicis. Erat etiam quartum Senatulum Matronarum in Quirinali quod Antoninus Pius fecerat.

Magistratus.

PRimum Roma habuit Reges septem, post exactos Reges habuit Consules: hi imperabant bini per singulos annos potestate quasi Regia. Habuit etiam Prætores quorum vnus erat Vrbanus, alter Peregrinus.

Ius in Vrbe dicebant. Vrbanus ciuibus, Peregrinis Peregrinus, Prætor tanto erat in honore vt penes eum omnis publici priuatiq; iuris esset potestas, vt & ei nouum ius condere, & vetera abrogare esset facultas. Regia illi erant insignia vt apparatu Consulibus pene par videretur. Creatus fuit Prætor cum Consules auocarentur bellis finitimis, nec esset qui in ciuitate ius diceret. Præterea habuit Tribunos plebis hi erant 54 Horum pręcipuum erat commoda plebis aduersus patricios tueri, quare quandoq; Senatus Consulta aut decreta Consulum aliorumve Magistratuum ne ederentur, vel promulgarentur impediebant. Hic magistratus quemadmodum per seditionem fuit creatus, nimirum per secessionem plebis in Montem Sacrum, ita seditiosus semper fuit, nec Consulibus parebant, sed plerumq; aduersabantur, quare per hunc Magistratum Consulum potestas fuit imminuta. Erant præterea Quæstores, his cura incumbebat Ærarij, & à quærenda, & seruanda pecunia, ita dicti fuere: rebus quoque capitalibus præerant, & Romanos ciues capite punire his licebat. sed hi quæsitores potius dicebantur. Horum quidam res Vrbanas curabant, alij militares; immo istorum officium bellorum causa primum fuit excogitatum mittebantur enim cum Consulibus, & Prætoribus quoq; in militiam, ad ministrandam rem pecuniariam & prædam. Aediles, his incumbebat cura sacrarum ædium, &

etiam priuatarum,hi etiam annonæ præerant, ludis quoque & sacrificijs; quatuor erant, ex plebe duo & duo Curules hi à solio eburneo ita dicti sunt, regijs vtebantur insignibus & purpura. Horum potestas adeo creuit, vt volunt aliqui, vt ad eos summa rerum & consularis Imperij maiestas peruenerit. hi ex patricijs electi additi fuere Plebeis. Totam hi Vrbem curabant, nimirum vt cloacæ, aquæductus,& publica ædificia munda & integra seruarentur. Cæsar addidit Cereales qui frumento præessent à Cerere: his quoque ponderum cura, ne qua fraus fieret & mensurarum commissa erat.Censores ,hi a censu populi sic dicti sunt quod censum instituerent, & populum censerent: hi quoque & moribus corrigendis præerant, quare nonnunquam senatorem ob prauos mores senatu mouebant; & equites Romanos ita notabant, vt equum publicum perderent. Quinto quoque anno creabantur quod tempus lustrum appellabatur. Censeri autem dicebantur ciues Romani cum censum, seu valorem bonorum suorum apud hos Censores profitebantur Trium viri ita dicti quod tres collegæ hunc magistratum administrarent. Hi triplices fuere Capitales mensarij,& nocturni.Capitales habebant curam Carcerum & sine his rei non puniebantur. Mensales nummularijs præerant & monetæ omnis generis, & formæ cusoribus. Nocturni hi nocturnis vigilijs præerant ne aliquod oriretur incendium.

Præfecti quoque erant varij. Erat Præfectus Vrbis hic a Romulo electus & negocijs Vrbis præfectus.Consulum deinde temporecrimina omnium in Vrbe cognoscebant, & ijs Vrbe absentibus, Præfecti eorum loco Vrbem administrabant. Erat præterea Præfectus Prætorio qui militibus Cæsaris præsertim custodiæ deputatis præerat; hic erat sub Imperatore, qualis, sub Regibus Tribunus Celerum, & sub Dictatore Magister equitum. Præfectus Annonæ hic Annonæ, & frumento Vrbi prouidendo præerat. Præfectus Vigilum hic nocturnis maleficijs erat Præfectus velut incendiarijs, latronibus, & ianuarum effractoribus. Alij præterea erant magistratus quos breuitatis causa omitto. Creabantur Calendis Ianuarij præsertim, vt Consules alij Martij alij Septembris.

Comitia & qua.

PLurima erant Romæ Comitia. Hæc erant loca aperta,& sub dio. Erant loca vbi creabantur Magistratus. Alia erant Calata, alia Curiata alia Centuriata, præcipuum erat prope forum

Roma-

Romanum. Septa autem erant vbi citabantur ad ferenda suffragia in monte citorio propè columnam Antonianam.

Tribus.

TRibus initio Vrbis fuere tres, posteà fuere sex & Triginta, nimirum Aemilia, Aniensis, Cornelia, Collina, Crustumina, Exquilina, Falerina, Fabia, Galeria, Lemonia, Meria, Narniensis, Orriculana, Osentina, Palatina, Papyria, Popilia, Pontina, Publicia, Pupinia, Quirina, Romulia, Sergia, Suburrana, Scaptia, Stellarina, Sabbatina, Terentina, Tromentina, Velina, Vecentina, Veturia & Volitina.

Regiones Vrbis.

ROma olim, vt etiam hodie, quatuordecim habet regiones Montium & habet insigne tres Montes. Columnensis habet Columnam. Treuis habet tres Gladios. Eustachij habet Saluatorem. Pontis habet Pontem pro insigni. Regulæ habet Ceruũ. Ripæ habet Rotam. Transtiberina habet caput Leonis. Capitolina habet Caput Draconis. Parionis habet Gryphum. Pinum habet Regio Pinea. Campus Martius Lunam. s. Angeli Angelum. Burgum habet Arcam cui Leo insidet. Hæc sunt nomina Regionum recentia antiquitus enim alia habebant nomina.

Basilicæ.

BAsilicæ fuere Romæ duodecim erant loca amplissima ambulationibus amplissimis instructa, Templis haud dissimilia, hic varia conficiebantur negotia, & lites, erantq; Statuis & Columnis ornatæ, habebantq; duos porticus præcipue fuere Paula, Argentaria, & Alexandrina.

Capitolium.

TArquinius superbus ex præda Pometia Latinorum Vrbe allata quam expugnauerat cœpit Capitolium extruere, ita dictũ, a capite hominis ibi in fundamentis reperto. M. Horatius Pulicillus Consul perfecit. Dedicauit Q. Catulus Ioui Capitolino. & tegulis æneis inauratis Templum eiusdem Iouis Capitolini co-

ope-



operuit. per gradus e foro ad Capitolium aſcendebatur. Fuerunt hic plurimæ Statuæ aureæ, & argenteæ, & chriſtallinæ valoris inæſtimabilis. Tria quoque millia tabularum æncarum quibus erant inciſæ leges: quater arſit, prima vice 415. annis ab eius ædificatione. Secundo Syllæ ætate, refectumq; fuit a Veſpaſiano. tertio tempore Domitiani,qui & magnificẽtius reædificauit ita vt ei ſteterit pluſquam 1200.Talentis.Quarto arſit Commodi Imper- tempore & ex tot ædificijs,& templis nullum reſtat veſtigium niſi ipſum Capitolium; quod ferme deſtructum & vetuſtate conſumptum inſtaurauit Bonifacius VIII. Senatoriq; habitationem eius attribuit: alijq; Pontifices inſtauratiõẽ eius ſunt proſequuti: Michael Angelus Bonarota aream ædificiumq; delineauit. Aſcenſum eius ab Vrbe poſitis hinc inde Leonibus ſatis magnifice adiecit Sixtus Quintus, & egregiè ſtrauit, cum primum nuda terra aſcenderemus. Clemens quoque VIII. Senatoris Palatium faciê exornauit.Talibus olim ornamentis erat inſtructum vt Ægypti

ſupe-

ſuperaret miracula; ſed pauca vel nulla eorum extant præter lunam æneam quæ fuit in Comitio eſtq; in Conſulum Palatio, vbi quoque in anteriori cubiculo eſt ſimulachrum Herculis æneum inauratum qui dextra tenet Clauam,& Pomum aureum ſiniſtra.

Hoc Sixti IIII. Pontificatu repertum fuit in eiuſdem Herculis Templo in foro Boario: Et in Camera Audientiæ duo ænea ſunt ſimulachra duorum adoleſcentum quorum vnus ſtat ſeruili habitu, alter eſt nudus, videturq; paſtor, & acu è pede extrahere ligni ramentum. In area eſt caput, & pedes aliaq; fragmenta Coloſsi illius qui ſtetit ad Templum Pacis. Et e regione ſcalæ ſunt marmora quibus inciſus eſt Marcus Aurelius triumphans ob victoriam reportatam a Dacis:in area quoque collocata ſunt & diſpoſita marmora antiqua recenter reperta in foro prope Arcum Septimij in quibus incisa leguntur nomina Conſulum, Dictatorum, ac Cenſorum. Caput illud ingens æneum quod eſt in eadem area eſt Commodi. manus quoque & pes eiuſdem Coloſsi ſeruantur in ſuperiore loco videnturq; ſuperius, & in aula vbi Senator ius dicit eſt Statua Pauli IIII. Regis etiam Caroli, qui fuit Senator Romanus. Duæ illæ ſtatuæ quæ ſunt ad pedem ſcalæ hinc inde collocatæ referunt flumina Tigrim & Nilum, illæq; octo Columnæ quæ ſunt in foro fuere in Porticu Templi Concordiæ, vt ſupra notatum eſt.

Aerarium & quo pecuniæ genere Romæ vtebantur.

PRimum ærarium vbi ſeruabatur theſaurus Pop.Rom. conſtructum a Valerio Publicola fuit vbi nunc eſt Eccleſia s.Saluatoris in Ærario prope rupem Tarpeam, vbi reſpicit plateam vulgo Montanara. Vnde Iulius Cæſar effractis ianuis accepit quatuor millia & centum triginta quinque librarum auri, & nouies centum millia argenti, eiusq; loco repoſuit tantundem æris inaurati. Et ſeptem annos ante bellum Carthaginenſe, Conſſ.Sexto Iulio & L. Aurelio, erant ſeptingentæ & viginti libræ auri, nouies centum millia argenti,& præter hunc numerum erant trecentum ſeptuaginta quinque millia.

Alterum Ærarium fuit vbi nũc eſt Eccleſia s.Adriani olim ædes Saturni prima pecunia qua Romæ ſunt vſi,fuit ex ære,abſq; aliquo ſigno. Seruius Tullus primum eam ſignauit pecoris effigie,indeq; pecunia. Q. Fabio Conſule centum octoginta quinque annis ab Vrbe condita ſignatum fuit argentum carro binis rotis ab vna par-

te, ab altera prora nauis. sexaginta duobus annis postea fuit signatum aurum. Saturnus repertor fuit pecuniæ ex ære, iccircò etiam in eius æde Ærarium fuit constructum, propterea quod etiã aureo illo Saturni sæculo nullum factum fuisse furtum creditur.

Græcostasis.

GRæcostasis locus fuit magnificus vbi legati nationum diuertebant, eratq; in illo angulo Palatini vbi supra s. Mariam Liberatricem videnrur eius vestigia.

Secretarium Pop. Rom.

PRope Templum s. Martinæ fuit Secretarium Pop. Rom. quod igne consumptum fuit restitutum tempore Honorij & Theodosij Impp.

Asylum.

ASylum fuit in ipsa Capitolij planitie vbi nunc equus Antonini. Fuit locus hic a Romulo constitutus vt Vrbem quam recens ædificauerat faceret incolis frequentem, quocirca locum hunc statuit quo tuto rei, alijq; facinorosi se reciperent, indeq; nec auelli possent siue seruus ille esset, siue liber qui ad illud confugisset, siue insola siue peregrinus. Alij ponunt Asylum inter Capitolinum & Palatinum in sacro luco quod Quercetum dicebatur.

Rostra.

ERat locus in foro prope Curiam Hostiliam in quo suggestum, vel pulpitum rostris nauium Antiatum adornatum, ex quo orationes habebantur ad Populum.

Columna miliaria.

E Regione Arcus Septimij in foro Romano extabat Columna dicta Miliaria aurea in quam desinebant omnes viæ Vrbis, & ab ea excurrebant hinc inde per circuitum ad omnes eiusdem Vrbis & portas & vias, & hinc facile quiuis quodcunque iter ingrediebatur.

Templum Carmentæ.

AD radices Capitolij vbi Ecclesia s. Catherinæ nunc destructa erat templum Carmentæ matris Euandri quod ei ædificarunt mulieres Romanæ quod eis concessum esset à Senatu posse curru vehi, quo beneficio iam diutius caruerant.

Columna bellica.

AD radices Capitolij versus plateam, vulgo Montanara erat templum Bellonæ: hic ante eius templi fores collocata fuit Columna dicta bellica, quia ab ea iaciebant sagittam versus partem, seu regionem cui volebant bellum inferre difficulter enim ob prolatatum Imperium poterant ad eorum fines adire quibus bellum cogitabant indicere.

Columna Lactaria.

IN foro olitorio nunc platea vulgo Montanara erat columna dicta lactaria, quoniam ad eam exponebant infantes furtim ex fornicatione seu adulterio natos, qui sic reperti ferebantur ad loca eorum educationi deputata.

Aequimelium.

PRope Ecclesiam s. Georgij locus fuit dictus æquimelium à M. Melio qui quod regnum affectaret supremo fuit supplicio affectus eiusq; bona proscripta, & domus quam hic habebat fuit censorum iussu solo æquata, nec vnquam amplius permissum reædificari, quare locus ædificijs carens dictus fuit æquimelium à Melij complanata domo.

Campus Martius.

CAmpus Martius fuit Tarquinij superbi, quo Roma pulso, Marti fuit consecratus inde Martius. hic lustrabant milites resq; ad bellum pertinentes.

Tigillum Sororium.

PRope templum Pacis vbi nunc s. Maria noua duo fuere extructi parietes quibus imposuere trabem, huic subire debuit Horatius, tamquam sub iugum ductus, seueriori supplicio liberatus, fuitq; huius damnatus pœnæ quod sororem occiderat, is qui victoriam retulit à Curiatijs, Imperiumq; Pop. Rom. peperit.

Campi Peregrini.

HIc vbi nunc Ecclesia ss. quatuor Coronatorum diuertebantur milites Romanæ Militiæ: Hinc fuere hic campi apppellati Peregrini.

Taberna Meritoria.

HIc vbi nunc est Ecclesia s. Mariæ transtyberim erat locus ad incolendum dictus Taberna Meritoria: hic habitabant Veterani milites, qui vel ob senectutem, vel infirmitatem non poterant amplius militare. Hi quod fidelem operam Romanæ militiæ dedissent, hic ex publico alebantur reliquo vitæ suæ tempore. Quod opus bonum Dominus Noster illustrauit mysterio suæ Natiuitatis, nam recenter nato, integro die & nocte scaturiuit hic fons olei tanta copia, vt in Tyberim redundarit, quod significabat gratiæ copiam quam Dominus Iesus Christus nascens vniuerso generi humano, cui Vrbs Roma tum imperabat, communicauit.

Viuarium.

INter portam s. Laurentij & s. Agnetis retro thermas Diocletianas erat locus vbi Romani nutriebant inclusa omnis fere generis animalia, quibus deinde in spectaculis, venationibus publicis ad delectandum populum vtebantur.

Horti.

PLurimi fuere Horti in Vrbe, sed omniũ celeberrimi videntur fuisse Salustij & Mæcenatis. Salustij erant in Monte Quirinali prope ecclesiam s. Susannæ locus etiam hodie Salustius dicitur.

Hic

Hic in medio ſtetit obeliſcus literis Aegyptiacis erat locus iſte adeo amænus, vt multi relicto Monte Palatino hic libentius habitaſſent quam ibi. erat etiam hic Domus & ampla platea Saluſtij. Hortus Mœcenatis fuit in Mō:e Exquilino prope turrim ibi eiuſdem Mœcenatis. Erat primum hic campus vbi ſoliti erant ſepelire mortuos quos in puteis quibusdam condebant, & ibi corrumperentur, quos ponticulos antiqui vocabant iſte modus fuit antiquiſſimus ſepeliendi, deinde introductum fuit corpora cremari; quod eodem loco fiebat, ſed quoniam fumus nocebat Populo Auguſtus campum donauit Mœcenati, vbi hortos hos celeberrimos conſeuit. Ex hac Mœcenatis turri ſpectauit. Nero Vrbem conflagrantē, cuius incendij culpā contulit deinde in Chriſtianos innocentes, cum ipſe auctor crederetur nā canens Homeri verſus otioſus ſpectauit incendium. Collis Hortulorū à Porta Populi excurrebat ad Montem nunc Trinitatis huic ſubiacebant horti varij à quibus collis nomen accepit, nunc locus eſt plenus ædificijs vt videatur altera Vrbs.

Velabrum.

INter eccleſiam s. Georgij, s. Anaſtaſiæ & ſcholam Græcam aliquando locus flumine exundante totus aquis operiebatur, ita vt vadari non poſſet nec tranſiri ſine nauigio, itaq; à naulo vel mercede quam nauigio tranſuecti ſoluebant dictus fuit locus velabrum. Alij volunt dictum Velabrum à velando, quod hic vela obtendebātur ſub quibus oleum, & ſimilia vendebantur, ſucceſſu deinde temporis terra repletus locus, aquis excluſis, dictum fuit forum Boarium ab æneo bouis ſimulachro quod hic Romulus ſtatuit, vel quod hic boues emerentur venderenturq;. Hic primum editi fuere ludi gladiatorij.

Carinæ.

CArinæ initium ducebant prope Amphitheatrum vulgo Coliſſeum, ſeu Coloſſeum ad radices Montis Exquilini, & inde excurrebant via Lauicana prope Eccleſiam ss. Petri & Marcellini inde ad s. Iulianum excurrebant per arcum Galieni hodie s Viti; per Suburram, & ſub s. Petri ad Vinculas redibant ad Coloſſeum Dictæ fuere Carinæ ab ædificijs quæ ſimilitudinem nauium exprimebant. In hac Vrbis Regione præcipua fere degebat Nobilitas

alij volunt dictas Carinas quod hinc inciperet via sacra hic domũ habuit Pompeus, Cæsar quoq; licet postea mutauerit.

Cliui.

IPsum Capitolium Cliuus dicebatur Capitolinus, & ad ipsum per varios Cliuos ascendebatur, omnium antiquissimus fuit apud Ecclesiam Consolationis qui fuit à Censoribus stratus, per hunc ascendebant triumphantes. Alius fuit sub Palatio Senatoris per hunc ad Capitolium ascendebant centum gradibus à templo Concordie cuius adhuc extant octo Columne. Apud hunc erat alter a arcu Septimij, hicq; videtur fuisse celeberrimus, quod propterea etiam arcus iste ei responderet, & superioribus annis via ibi salicibus strata fuit reperta. Quartus Cliuus fuit ab altera parte Capitolij qui respondet nunc Vrbi, quo hodie etiam ascendimus ab Vrbe in Capitolium ascendentes, vbi etiam superioribus annis reperta fuit porta e marmore constructa.

Prata.

IN Campo Vaticano erant prata Quintia à L.Q. Cincinnato ita dicta. sunt hæc prope Castrum s. Angeli & vulgo vocatur Prata. Hic prope etiam videntur vestigia Circi, siue loci ad exercendos equos & ad circuitum ripæ Flumini videtur prata Mutij Sceuolæ quæ dedit ei Populus in præmium, quod salutem patriæ propriæ saluti ante posuerat contra Regem Porsenam.

Horrea publica.

AD radices montis Auentini iuxta Tiberim erãt centum sexaginta horrea maxima in quibus seruabat Pop. Rom. frumentum, adhuc eorum cernuntur vestigia, & præter ista fuerunt in Vrbe alia 191. Hic prope fuerunt etiam Salinæ quas extruxit Ancus Martius, & Liuius Salinator reperit primum salis vectigali.

Carceres publici.

CArcer ad pedes Capitolij qui primum imminebat foro, fuit primus ab Anco Martio extructus ad terrorem, hic dicebatur Tul-


Tullianus, ibiq; fuerunt in vinculis ss. Petrus & Paulus. Alter qui vbi nũc s. Nicolaus in Carcere fuit extructus ab Appio Claudio è decem viris vno illeq; in eum primus fuit coniectus ibiq; mortuus est, sibi ipsi mortem consciscens.

Festa & ludi publici.

IAnuarij 9. festa celebrabant Romani Agonalia ad honorem Iani. Duobus postremis diebus Februarij sacrificabant Marti, Tertio Aprilis Floralia celebrabãt festa in memoriam Floræ meretricis admodũ à Pompeo amatæ, quæ etiam Pop. Rom. suorum bonorum fecit hæredem, illiusq; domus erat vbi nunc acies Campi Floræ ità à suo nomine appellata. Hi ludi fiebant sub vinea olim Cardinalis Ferrarij in Monte Quirinali, nunc Palatij Pontificij. hic inferius in valle discurrebant meretrices nudæ motus lasciuos, verbis req; ipsa exhibentes. Et sexto die eiusdem mensis in memoriam victoriæ à Latinis reportatæ incedebant equites magna pompa exornati dextris ramos portantes oliuarum à templo Martis via Appia Roma quatuor milibus passuũ distante ad templum Castoris, & Pollucis. Maij autem 29. peragebant lustralia festa & sacrificia Marti dicata: in quibus ostendebantur tubæ, aquilæ aliaq; militaria insignia. Autumno celebrabant festa in honorem Bacchi, & Decembris mense celebrabant Saturnalia in Saturni honorem: soliti quoq; erant celebrare, ludos Traianos, Capitolinos, Scenicos, Appollinares, Seculares, Romanos, Plebeos. Circenses, & alios quos breuitatis causa omitto.

Mausoleum Augusti, Adriani, & Septimij.

AVgusti Mausoleum fuit in campo Martio hic etiam nunc prope templum S. Rocchi eius spectantur vestigia erat ornatum pario lapide, & porphyretico, ingentibus quoque columnis obeliscis & statuis, duodecim habebat portas, tres muro cinctas eratq; forma rotunda, altitudo eius erat 150. cubitorum, & in vertice eius extabat statua ænea eiusdem Augusti, qui extruxit monumentum, seu sepulchrum sibi alijsq; consequentibus Imperatoribus. Adriani autem Mausoleum fuit, quod nunc castrum S. Angeli: erat hoc quoq; ornatũ pulcherrimis marmoribus, statuis, quis cum carris artificiose elaboratis, quæ omnia vastata fuere à Belisarij militibus bello Gothico Bonifacius viij castrum struxit.




Alexander Sextus turri ac fossis muniuit, & vallo ? hico; militum præsidium posuit, & excubias, ambulationeq; longa ad Palatium vsq; Vaticanum perduxit. Paulus iij. habitationibus egregijs amplificauit: sed Pius iiij. vallo circundedit munitiore. Septimij Seueri fuit prope s. Gregorium. Septizonium dicebatur. quod septem haberet contignationes vnam super alteram columnis suffultas. nostra ætate adhuc tres extabant quas Sixtus V. quod eius lapidibus indigeret deiecit.

Templa.

FVerunt Romæ plurima templa, sed omnium celeberrima fuere Iouis Opt Max, Pacis, & Pantheon. Iouis Optim. Max. fuit in Capitolio. Tarquinius Priscus vouit, ædificauit Tarquinius Superbus; erat forma quadrata singulæ eius facies; seu latera erant ducentorum pedum habebantq; tres ordines Columnarum, expen-

ditq;

ditq; in fundamenta tantum quadraginta millia librarum argenti, & præter reliqua ornaméta erat ſtatua aurea decem pedum, cratere res ſex ex ſmaragdo, quos Pompeus Romam attulit. Templum pacis magnitudine fere ſuperabat omnia: forma erat quoque quadrata maximus ornatum, Columnis, & Statuis Veſpaſianus extruxit. octuageſimo anno poſt Chriſti aduentum ſubito, & inopinato conflagrauit incendio tempore Commodi Imperatoris. Eius ad hunc ingentia cernuntur veſtigia apud s. Mariam Nouam. Vnicam Columnam quæ remanſerat Paulus V. transferendam curauit ad s. Mariam Maiorem, & faſtigio eius impoſuit Statuam æneam inauratam B. Virginis. cum igitur Veſpaſianus illud extruerit, fieri non poteſt, quod vulgo aiunt, nocte Natiuitatis Domini corruiſſe.



Pantheon ad hæc extat, eſt forma rotunda, altitudo eius & latitudo ſunt centum & quadraginta quatuor pedū Aedificiū videtur extrinſecus lateribus compactum. intrinſecus autem eſt lapidibus mar-

marmoreis tectum & ornatum. In circuitu eius videntur sacella egregie facta in quibus collocatæ erant Deorum statuæ. Valuæ eius sunt æneæ magnitudine admirabili, dedicatum fuit Ioui vindicatori Cereri, vel, vt alij volunt, Cybele Deorum Matri, ac Dijs omnibus, propterea etiam Pantheon nominatur. Bonifacius IIII. dedicauit Dei Matri, diciturq; S. Maria ad Martyres, ac Sanctis omnibus, iccircò etiam die omnium Sanctorum eius dies festus agitur, vocaturq; vulgo à forma, Rotunda, erat coopertum laminis argenteis, quas omnes ac Statuas æneas & marmoreas Constantinus III. Imperator auexit Siracusas, maiusq; propterea damnum Romanæ Vrbi intulit septem diebus, quibus Romæ substitit quam intulerunt Barbari ducentis quinquaginta octo annis. Quare immerito vulgus id imputat s. Gregorio quod ipse videlicet religionis ergo statuas abstulerit, & in Tiberim proijci iusserit, imò sanctus hic Pontifex tantum abfuit vt antiqua monumenta, ac vestigia euerterit, vt potius instaurarit veteres aquæductus; sed partim tempus edax rerum, partim homines tale damnum Vrbi intulere: Habet præterea, templum hoc porticum egregiam tredecim Columnis ingentibus exornatam, tectum eius sustinebant trabes æneæ inauratæ. Marcus Agrippa vt inscriptio indicat porticum extruxit. Duo illi Leones & vasa porphiretica in foro erant in Thermis Agrippæ.

Sacerdotes, Virgines Vestales, Vestimenta, Vasa, aliaq; instrumenta in vsum sacrificiorum eorumq; institutores.

NVma Pompilius secundus Romanorum Rex creatus, vt mitigaret populum ferocem ac rudem, religionem & Deorum cultum in ciuitatem induxit, & plurima præscripsit quæ ad honorem Deorum pertinent. Templum Vestæ ædificauit quod erat rotundum virisq; interdictum ne illud ingrederentur, selegitq; numerum Virginum ad eiusdem Templi seruitium, quas volebat natas ex homine libero, & corpore maculas nullas præferentes neque cerebro laborantes. Anno ætatis sexto admittebantur vsque ad decimum ad summum. Primum decem annis sacrificiorum normam formamq; discebant. Totidem annis occupabantur sacrificando. Postremis deinde decem annis iuniores instruebant: transactis deinde triginta annis poterant inire si volebant matrimonium,



monium, ſed qui illud inibant, infelicem vt plurimum ſortiebantur exitum. Quæ omnibus præerat vocabatur Maxima, eratq; apud populum maxima in exiſtimatione & veneratione. incumbebat iſtis virginibus perpetua ignis cuſtodia, & Palladij, nimirum Mineruæ ſimulachri, aliorumq; ſacrorum. Si deprehenſæ fuiſſent in ſtupro, vt fuerunt deprehenſæ Porphiria, Minutia, Sextilia, Aemilia, hoc modo extremo ſupplicio afficiebantur. primum habitu ſacro exſpoliabant, deinde feretro impoſitam ligatamq; & cooperto capite ſummo ſilentio per Vrbem quæ tota erat in luctu euehebant ad portam, vſque Salariam, apud quam erat locus qui Campus ſceleratus dicebatur, hic erat ſepulchrum, ſeu tumba concamerata quæ habebat paruum foramen duasq; feneſtrellas, in quarum altera ponebant lucernam accenſam, in altera aquam, lac, & mel. Ad hunc locum cum perueniſſent primus Sacerdotum quaſdam preces recitabat manibus in cœlum ſublatis, quibus peractis, eam in tumbam per paruum illud foramen ingredi cogebant.

bant populo interim visum auertente, deinde sublata scala, & tumba lapide sepulchri instar cooperta populus inijciebat humum & totam illam diem in luctu peragebat.

Numa præterea tres creauit Sacerdotes, seu Pontifices dictos Flamines. Vnum in honorem Iouis, alterum Martis, tertium Romuli, qui insigni veste induebantur, & capite gestabant galerum album. Instituit præterea Pontificem Maximum, & viginti tres Sacerdotes dictos Salios in honorem Martis qui pictis tunicis vestiebantur, & in pectore gerebãt pectorale ornatum auro, & argento, & lapidibus pretiosis. Crescente deinde Religione cultuq; Deorum, quorum numerus excedebat apud Romanos triginta millium, auxitq; postea numerum Sacerdotum, adiunxitq; Patrem Patratum, Feciales, Epulonem, & Augures, qui tanta præditi erant potestate, vt cogi absq; eorum auctoritate senatus non posset, varijs isti induebantur vestibus, sed sacrificantium erat vnicus eorum vestitus, vestiebantur enim tunc veste Alba e lino: ampla & longa quam cingulo præcingebant, & hic modus vestiẽdi dicebatur Cabinus Plurima præterea adhibebant ad sacrificandum instrumenta, & vasa, vt fuit præfeticulum quod fuit vas æneum absq; ansis patulum. Patena item erat vas paruum apertum. Achamum erat vas quoque paruum Cyathi instar in quo gustabant Vinum in sacrificijs.

Infula erat fascia, quibus Sacerdotes velabantur à quibus dependebant vittæ. Altera erat nauicula qua tenebant incensum, Marculum erat baculus inauratus, quem Sacerdotis capiti imponebant sacrificantes. Anclabrum dicebatur mensa in qua ponebant res ad sacrificium pertinentes, vt etiam vasa quæ etiam Anclabra dicebantur sespita erat culter ferreus oblongus cum manubrio tereti eburneo ornato in capite auro & argento clauiculis æneis confixo. strupi erant fasciculi de Verbenis facti qui pro corona Deorum capitibus imponebantur. Sesibulum erat vestis Alba texta quadrata, & longa quam Virgines sacrificantes capiti imponebant. pluribus quoque alijs rebus vtebantur quas breuitatis causa omitto.

Armamentarium.

ERat Armamentarium proximum Templo pacis vbi Arma publica conseruabantur, nam priuata arma Romani non habebant, ad bellum enim proficiscentes hinc arma sumebant, & redeuntes

deuntes è bello eo reportabant. & plusquam ducentis annis Pop. Rom. ad bellum ibat absq; vllo stipendio.

Exercitus Romanus terra Mariq; eorumq; insignia.

ROmani, vt scribit Appianus tempore Imperatorum habuerunt ducentena millia peditum, equitum quadraginta millia, tercentum Elephantos, & duo millia curruum, & præterea si ita necessitas postularet, habebant parata tercentena millia armatorum. Hæc Terra, Mari vero habebant duo millia Nauium, Triremium 1500. è biremis, vsque ad quinque remos. Habebantq; varia insignia militaria, sed proprium insigne eorum fuit Aquila.

Triumphi, & quibus concedebantur, & quis primus triumphauit, & quot erant triumphorum genera.

TRiumphus concedebatur Dictatori, Consuli, siue Prætori, qui in conflictu plusquam quinque millia hostium profligasset, & qui Romano Imperio Vrbes, ac Prouincias subiugasset, & omnium splendidissimi fuerunt Pompei & Cęsaris. Ouatio autem erat minor triumphus, illi enim ouabant qui victoriam reportarunt non dignam triumpho, vel quod citra multam sanguinis effusionem rem confecerant, vel quod non cum iusto exercitu conflixissent. hi enim, vel pedites, vel vno equo vecti Vrbem ingrediebantur myrteam coronam capite gestantes, vniuerso eos Senatu subsequente absq; exercitu. Primus qui ita triumphauit Posthumus fuit Tubertus Consul de Sabinis. Marcellus de Sicilia, & alij. Sed primus qui triumphauit fuit Romulus. postremus. Probus Imperator. Triumphantium numerus supputatur 320. Et primus qui hostes in triumphum duxit fuit Cincinnatus. Vehebantur autem triumphantes curru qui à quatuor equis albis trahebatur. aliquando ab alijs feris vt Elephantis, exercitus Lauro insignitus prosequebatur triumphantem. & cum in Capitolium peruenissent è curru in Templum Iouis Opt. Max. ingrediebantur ad reddendas ei gratias de reportata victoria, & post peractum sacrificium, in quo Taurum album immolabant domum redibant.

Ce-

Corona, & quibus dabantur.

MVltæ fuere coronæ quæ militantibus in præmium virtutis bellicæ dabantur. Triumphalis erat primum ex Lauro, postea ex Auro, dabatur exercitus Imperatori. Obsidionalis dabatur qui ciuitatem obsidione liberauerat, & primus ea donatus fuit Sicinius Dentatus hæc primum fuit ilignea, postea e quercu. Muralis dabatur qui primus murum hostium subijsset, hęc ad inuitandos ad oppugnationem militum animos ex auro fiebat. Castrensis siue Vallaris dabatur qui primus hostium castra, & vallum introisset, hæc quoque erat aurea. Naualis item aurea dabatur qui primus maritimo prælio in Nauem hostium transilijsset: hæc erat quibusdam quasi rostris nauium insignita: Muralis erat quasi murorum pinnis insignita; Castrensis referebat vallum castrorum. Oualis erat myrtea dabatur ouantibus. Prima qua Romæ vsi sunt fuit ex nardo, hac Romulus fuit coronatus. Armillæ fuerunt ornamenta in circulorum modum quas viri militares ab Imperatoribus donatas in sinistris brachijs gestare consueuerunt.

Numerus Pop. Rom.

SEruij Tulli Romanorum Regis tempore initus fuit census Pop. Rom. & repertus fuit numerus 84. millium, fuitq; primus cẽsus & ab hoc rege institutus post mortem autem 300 Fabiorum censa sunt capita & reperta centena millia & 7318. Et primo Carthaginensi bello reperta fuere 29. millia 330. & Augustus reperit trigesies centena millia & 1037. & Tiberius reperit sexdecie centena millia 291.

Diuitiæ Populi Romani.

AMplissimæ fuere Pop. Romani opes, & diuitiæ, vt ex amplissimis Vrbis ædificijs conijci poteſt, ex Theatris videlicet, Thermis alijsq; admirandis. neque enim inter diuitis connumerabatur ciuis ille Romanus qui non poterat suis expensis annum integrum exercitum alere, interq; opulentissimos fuit Lucullus: à quo cum Histriores petijssent commodato vestes 120. respondit se posse illis commodare vestes 5000. & post eius mortem pisces tantum quos in suo alebat viuario, vendiderunt triginta millibus

sester-

ſeſtertium, eiq; fuere diuitijs pares plures quam viginti mille, ciues alij.

Liberalitas antiquorum Romanorum.

HIſtoriæ Romanorum paſsim eorum liberalitatis meminerunt, ego hæc pauca adduco. Cum Carthaginenſes Romam tuliſſent in gentem vim pecuniæ ad redimendos 2744 iuuenes captos, illos omnino liberos, nihil accipientes, dimiſerunt. Cum conueniſſet inter Fabium Maximum, & Annibalem de permutandis inuicem captis in bello, & Senatus nihil de ea re decerneret, miſit Fabius filium Romam, vt vendito prædio, inde confecta pecunia negocium perficeretur, & ita ſex mille & ducentos aureos ſoluit ex ſuo, vt fidem ſuam & Reipublicæ liberaret. Plinius iunior cum cognouiſſet Quintilianum præ inopia non potuiſſe locare filiam ei donauit quinque millia aureorum ad eam collocandam.

Matrimonia Romanorum & quomodo fiebant.

SOliti erant Romani cum collocare volebant, ſuas in matrimonium, hos ſeruare ritus, porrigebant ſponſæ clauem in manum, comebant illi caput lancea qua transfixus fuerat gladiator, cingulo prǽterea eã cingebant ex pecorũ lana confecto, quẽ deinde ſpõſus ei ſoluebat in thoro, geſtabat in capite ſertũ ex verbena, alijſq; herbis compactum ſub velo, quo caput præ pudore obuelabant, quod flammeum vocabant. Faciebantq; eam inſidere pecoris pelli, & eandem ad ſponſum prodeuntem comitabantur tres pueri, quorum vnus præferebat ſponſæ facem accenſam ex ſpinis albis confectam, quoniam noctu nuptiæ peragebantur, cæteri duo hinc & inde ab vtroq; latere eam comitabantur: Præferebatur quoque ſponſæ colus cum fuſo, efficiebantque, vt ſponſa, deinde attingeret ignem & aquam, & in nuptijs non niſi quinque faces accendebant quas Aediles ſoliti erant accendere.

Bonis moribus filios Romani inſtituebant.

MAgna cautela Romani filios bonis moribus inſtituebant, ac propterea vix permittebãt eos alibi extra domum propriam cibum capere, nec obſcæna verba proferre. Foras quoque mittebant, vt in Hetruriam, Athenas præſertim, & Rhodum, ad diſcendas

ſcendas bonas artes & diſciplinas. Raro quoque permittebant eos domo pedem efferre, & videri in publicis plateis & foro ad decimum vſque annum. & tunc adibant Aerarium, vt ibi nomina eorum in ſuas quæque tribus referrentur. Deinde vix comparebant ante decimumſeptimum ætatis annum quo anno Togam prętextam deponebant & virilem aſſumebant. qua aſſumpta, adoleſcentes à ſenum latere vix decedebant, eoſq; honoris ac venerationis cauſa comitabantur, præſertim ad Senatum, quo miſſo, ſenatiores quique ſuos, quos ad finem vſque expectauerant, ſeu cognatos, ſeu parentum amicos domum deducebant, vt ita à pueris honorem ſenibus ac maioribus natu deferre addiſcerẽt, ab iiſq; & prudentia, & bonis moribus informarentur.

Matrimoniorum ſolutio ac diuortia.

TRibus modis Romani matrimonia ſeparabant. Primus modus fiebat per repudium, & hoc fiebat inuita vxore, quam maritus ob cauſam ſibi viſam repudiabat, primus qui ſuam repudiauit fuit Spurius Caruilius. centeſimo anno poſt Vrbem conditam. quod prolem ex ea non ſuſciperet. C. quoque Sulpitius repudiauit ſuam quod velo depoſito aperto capite, & capillis domo fuerat egreſſa. Q. Antiſtius quod vxorem viderat ſecrete cum Libertina loquentem. P. Sempronius quod inſcio marito iuerat ad ſpectacula publica. C. Cæſar quod ſuſpicaretur eam cum Clodio rem habuiſſe, qui muliebri veſtitu repertus fuit in ſacris Bonæ Deæ. Alter modus dicebatur Diuortium. idq; fiebat conſenſu vtriuſque Tertius dicebatur ſeparatio, & hæc fiebat auctoritate Principis.

Exequiæ earumq; ritus.

DVobus ſepeliendi mortuos modis Romani vtebantur, primus fuit eos terræ mandare. Alter cremare eorum cadauera. Verum hic modus non diu durauit. & primus Senatorum qui poſt mortem fuit crematus. L. fuit Sylla. Numa Pompilius ſecundus Romanorum Rex exequiarum fertur repertor, funeriq; præfecit ſuum quoque Pontificem. Primum hoc honore defunctum proſequebantur. habebatur ad eius laudes explicandas oratio funebris, atque ita C. Cæſar duodecim annorum in funere aui ſui orationem habuit, & Tiberius in funere patris cum eſſet nouem annorum, Deinde ludi edebantur gladiatorij quos Marcus & Decius

primi

primi in funere patris Iunij Bruti ediderunt, tum denique conuiuium dabant ſplendidiſsimum. Carnes poſtremò plebi vniuerſæ largiſsime diſpenſabant. Et primi diſpenſatores huiuſmodi fuerunt Curatores funeris P. Licinij opulentiſsimi & honeſtiſsimi ciuis. Soliti quoque erant varios in funere ſpargere flores, & odores, vt factum fuit in funere Scipionis. Ponebantur quoque in templis, ac locis publicis ornamenta quædam qualia fuere varia ſcuta, coronæ atque huiuſmodi res aliæ. Qui verò ob inopiā tantas non poſſent tolerare ſumptus priuatim ſub noctem ſepeliebantur, à Veſpillonibus, hi albis induti mortuos terræ mandabant, Mortui affinitate proximus claudebat oculos, deinde aperiebatur cubiculum, omnibusq; tam ex familia quàm ex vicinia patebat ingreſſus; Et ex his duo aut tres defunctum proprio nomine alta voce appellabant, & poſtea corpus calida abluebant hæres certis quibuſdam ſcopis totam euerrebat domum; & rami cypreſsini ſupra domus ianuam collocabantur. Et ſi alicuius erat defunctus auctoritatis ciues ad exequias ab vno ad hoc deputato inuitabantur, & mulieres quæ mortuum attinebant albis induebantur veſtibus. Et ſi defuncta erat Vidua vnius viri vxor, hæc corona pudicitiæ ornata ad ſepulturam efferebatur.

Turres.

TVrrim vulgo Comitum ædificauit Innocentius III. ex familia Comitum. Militiæ Bonifacius VIII. dicitur militię quod eo in loco milites Traiani habitarent.


Tiberis.

HIc fluuius primum Albula dicebatur, deinde Tiberis à Tiberio Albanorum Rege in eo ſubmerſo, vel, vt alijs placet, Hetruſcorum Rege eiuſdem nominis, qui quod Latium infeſtaret ad huius fluminis ripam ſit interfectus, e media fere Apennini longitudine Arretinorum finibus ſupra Arnum defluit, dirimitq; Hetruriam ab Vmbris, Sabinis, & à Latio, & Ianiculum ab Vrbe. initio ſuo eſt exiguus fluuius, & paulatim creſcit quod in eum plurima flumina illabantur. quidam volunt quatuor quorum præcipua ſunt, Nar, & Anio, excurrit miliaria 150. & propè Oſtiam in Tirrhenum mare influit, ortam patulo vt quamcunq; ingentem nauim admittat; olim ſtagnabat ad Capitolium vſque,

ibiq; prope reperti fuere Romulus & Remus ad ficum ruminalem prope Ecclesiam sancti Theodori. Tarquinius Priscus suum cursum, seu fluxum direxit, Augustus ne inundaret alueum eius dilatauit. Aurelianus Imperator ripis hinc inde editioribus ne effueret compescuit. Papa quoque Vrbanus muro item ex lateribus hinc inde ad mare vsque perducto, cuius muri etiamnum quibusdam in locis notantur vestigia. Molendina aliquot visuntur in flumine nauiculis imposita, repertor horum fertur fuisse Belisarius post Gothos Italia ab eo pulsos.

Palatium Pontificium & vulgo Pulchrum visu, Beluedere.

SImmachus Pontifex, vel, vt alij volunt, Nicolaus III. cœpit ædificare palatium Pontificis, quod alij deinde Pontifices



sunt

sunt prosecuti, & præcipue Nicolaus V. qui Vaticanum muniuit altissimis muris. Sixtus IIII. construxit Sacellum Pontificis, vbi plurimum peragit diuina officia, propterea etiam vocatur Sixtinum. Sed Paulus V. alterum ædificauit in Quirinali, quod huic Sixtino non cedit ad cuius formam fuit ædificatum, saltem si lumen spectemus quo abunde admisso aurum corruscat quamuis Sixtinum elegantissimis splendeat picturis. Aedificauit idem Sixtus Bibliothecam Vaticanam, sed quoniam obscurior erat & humidior Sixtus V. nouam ædificauit licet prospectum Theatri pulcherrimi hæc impediat. quare sunt qui velint vt alio transferatur, & theatro integro Palatio, & cubiculis Pontificum cœlum reddatur apertius. Idem Sixtus IIII. inchoauit Rotam quam perfecit Innocentius VIII. Sed hac deiecta ob templi ædificationem Rotæ Auditoribus locum dedit Paulus V. in Palatio Quirinali à se ædificatum. Extruxit idem Innocentius fontem in foro S. Petri quem nunc Paulus quoque V. instaurauit addita noua copia aquæ, qui etiam Paulus instaurauit Portam Palatij ab eodem Innocentio extructam. Idem quoque Innocentius VIII. aulam amplam extruxerat cum aliquot habitatiunculis peramplis pro Dataria, & Secretaria, sed his deiectis ob nouum ædificium templi, Paulus idem Quintus nouas habitationes pro eadem Dataria extruxit. Idemmet Innocentius VIII. Palatium vetus Pontificium extruxit quod etiamnum extat hanc visendum ob pulchritudinem, & prospectus, & pauimenti laterculis quadratis egregie strati. forinsecus videtur hoc extructum Palatium ad modum arcis munitissimæ, huic addidit locum vulgo dictum Pulchrum visu Beluedere. Iulius II. hoc ambulatione longa cum nouo Palatio coniunxit, sed hanc cooperuit Paulus III. qui etiam Pontifex in Sacello Sixti super Altare curauit depingendum Iudicium ab Excellentissimo Pictore Michaele Angelo Bonarota. Idem quoque Paulus III. Pontifex Aulam [illegible]it Regiam, & Sacellum addidit vulgo Paulinam, vbi creatur Pontifex quod etiam Sacellum depinxit idem Michael Angelus.

Gregorius deinde XIII. ambulationem longam construxit vulgo Galeriam, & ornauit picturis variarumq; Orbis Italiæ præsertim regionum locis. Addiditq; tertiam porticum superiorem ibiq; regiones Orbis curauit depingendas. Sed sub hac porticu; seu Xysto est media visenda ob pulcherrimas picturas eximias Raphaelis Vrbini pictoris illius celeberrimi quam curauit depingendam Leo X. hic sumunt pictores veram pingendi formam dam-

num est quod paulatim pereant, vt picturæ ibidem Ioannis Vtinensis qui pinxit ibidem varij generis aues & pisces.

Sixtus deinde Quintus fundamenta iecit noui Palatij & erexit ad altitudinem suam, sed rude perfecit Clemens Octauus, & aulam egregijs picturis ornauit. Hic Pontifex Paulus V. vt diximus quædam perfecit habitationibns amænis, fontibusque perennibus ditauit: sed totus est in extruendo & ornando Palatio Quirinali, quod huic Vaticano vix cedit si non superat. Hic nimirum videre licet scalam vtrinque egregiam, aulam amplissimam, sacellum pulcherrimum, ambulationem ingentem, porticus hinc inde egregias, aream in medio ob amplitudinem admirandam. Nauiculam quam Iottus celeberrimus illius seculi Pictor musiuo opere pinxit seruatam Paulus idem Quintus hic muro, & turri egregiæ pro Horologio à se erectæ è veteri templi atrio fere integram seruatam, & translatam, adiunxit.



Transtyberina Regio.

HÆc à Ianiculo olim denominabatur quod hic mons ei super immineat. Dicebatur quoque Rauennatum, ob milites qui militabant sub Augusto olim Octauiano prope Rauennam contra Marcum Antonium, & Cleopatram; quibus hic locus datus fuit ad incolendum, vt etiam militibus veteranis & emeritis qui habitabant, vbi nunc templum s. Mariæ. Incolebatur hæc regio ob ventorum insalubritatem, vt plurimum à plebe vilissima, & ab opificibus. Iudæi quoque vilissima fex orbis, aliquando hanc, Regionem incoluit tempore Augusti. Corsi quoque milites. Hic pauca erant ædificia nec digna memoria, præter Thermas Seueri, & Aurelij Impp. & hortos, & Naumachiam Cæsaris.

Repetitio, seu Recapitulatio quædam Antiquitatis.

FVit mos antiquorum Romanorum inuitare peregrinos, & aduenas benigne ad sua domorum hospitia, vt ita commode videre possent & festa, & spectacula, & varia Vrbis ædificia, quam etiam ob causam extruxerunt plurima templa & habitationes pulcherrimas. Octauianus Augustus solitus erat gloriari se reperisse Vrbem lateritiam, & reliquisse marmoream. Hic item Imperator totus erat in prospiciendis Vrbis necessitatibus, quare instituit Præfectos Vigilum & Vigiles, seu Custodes viarum quod primum officium administrabatur à Trium viris, quos etiam per varia Vrbis loca disponebat, tum quia prospicerent, ne quid pateretur Vrbs ab inopinato incendio, quo frequenter laborabat, tum etiam vt sternerentur viæ Vrbis, & mundæ seruarentur. Et quoad altitudinem ædificiorum, iussit ne quis qui habitabat prope ædificia publica, erigeret suam fabricam supra septuaginta pedes. Instaurauit plurima templa, Pontes vetustate collabentes refecit, inundationem quoque Tiberis coercuit ripis hinc inde marmoreis. Vias quoque Vrbis direxit. Reliquit Vrbem diuisam in Regiones quatuordecim, continebat septem Montes, & totidem planities, seu Campos, viginti portas; Duo Capitolia. Tres Theatros. Amphiteatros duos. Tres Senatulos. Colossos duos. Duas quoque Columnas cochleatas. Statuas ingentes. Busta, Tabulas marmoreas absque numero, aliasque res memorandas quas ego quod libri eis pleni sint breuitatis causa omitto.

Templa extra Vrbem.

ERant præterea extra Vrbis mœnia templa Deorum, quos Romani existimabant infestos esse, & posse nocere. vt extra Portam Collinam erat templum Veneris Ericinæ & statua Veneris Verticordiæ, quasi ipsa verteret corda hominum à libidine ad pudicitiam. Fuit præterea extra Portam Viminalem templum Næniæ quod ipsa existimaretur adesse cantu lugubri funeribus mortuorum. Fuit quoque via Lauicana templum Quietis: & via Latina templum Fortunæ Muliebris, & extra portam Capenam duobus ab Vrbe miliaribus templum Dei Ridiculi, vbi castra posuerat Annibal, & quod delusus, coactus fuit retrocedere ab Vrbe, propterea hic huiusmodi templum fuit constructum. Erat eadem via templum Martis. Extra portam Carmentalem fuit templum Iani. & in Insula Tiberina fuit templum Iouis, Æsculapij, & Fauni: & in Transtiberi fuit templum Fortunæ. Aliqua vero templa longe ab Vrbe distantia ædificabant, vt fuere templa Timoris, Palloris, Paupertatis, & Senectutis tanquam Deorum quos fingebant sedere, in aditu Auerni, siue Inferni. Erant præterea Dei Liberi, siue Bacchi, & Deæ Liberæ, quibus ad faciendā vindemiam sacrificabant. Sunt præterea quæ etiamnum exstant in circuitu Romano varia veluti sacella, & habitationes in prædijs admirabilis artificij, & quamuis sint rustica & rudi opera, non tamen ingrata intuentibus, existimantur fuisse habitationes Deorum Larium; quod ex verbis Ciceronis colligitur 2. de leg. Vbi dicit: Debere esse ruri Nemora sacra, & habitationes Deorum Larium. Romani enim diuitijs affluentes magnificentius ædificabant extra in prædijs, quam intra mœnia, vbi etiam habebant loca conclusa ad alendas aues, pisces, cæteraq; animalia, & feras ad venationes & varias animi recreationes; concluserant quoque quibusdam in locis aquas maris ad natationes, aliasq; animi relaxationes. Construxerant præterea loca viridantia hortis varijs arboribusq; & pascuis consita ad omnem amænitatem instructa. Extra Vrbem via Appia fuerunt horti Terentiani qui iugera 20. complectebantur. Ouidij quoque via Claudia. Erant præterea prædia extra Vrbem frequentia dicta suburbana, quod non longe ab Vrbe distarent: qualia fuere Lucullanum, Tusculanum, Formianum, & alia quæ hodie sunt prædia priuatorum. Villa Tiburtina Adriani Imperatoris Tibure fuit celeberrima, adhuc eius

extant vestigia erant in hac Villa amplissima loca distincta quæ varias referebant Orbis Prouincias & loca celebratissima vt fuere Lyceum Academia, &c. Erant quoque extra Vrbem in eius circuitu fabricæ ingentes quæ nūc solo æquatæ campi sunt & pascua Vrbis, vbi pecora pascuntur, herbis abunde è terra nascentibus, varijsq; aquis ea irrigantibus abundant, & collibus apricis vallibusq; amænissimis.

Roma quoties direpta.

ROma pluries fuit direpta primū direpta fuit anno 413. 8. seu 9. Cal. Septemb. per Gothos duce Alarico, siue Athamerico, qui fuit primus Rex Hispan. Iterum fuit direpta anno 457. à Vandalis duce Genserico, iam Carthagine ab eis expugnata, & Africa subacta. Tertio direpta fuit iterum à Gothis duce Totila anno 537. Alij ponunt Romam septies fuisse direptam prima vice anno 364. post Vrbem conditam à Gallis Senonibus Duce Brennone. Secunda vice post annos 800. à Visigothis. Tertio post 44. annos à Vandalis. Quarto post 18. annos ab Herulis. Quinto, Decimū quartū post annum ab Ostrogothis. Sexto, Duodecimum post annum à Totila; tandem anno 1527. 6. Maij ab exercitu Imperatoris Duce Borbonio quæ fuit fortasse direptio omnium crudelissima, quod in eo exercitu plurimi erant Hæretici, qui sæuiebant in catholicos, nam cum in alijs direptionibus parceretur confugientibus ad Basilicam sancti Petri, hac vice ita sæuierunt in confugientes ad eandem, vt ibi innumeram multitudinem interfecerint, ita vt pauimentum nataret sanguine, vsque ad inferiorem fere gradum altarium. Quæ direptiones semper euenerunt ob peccata populi, cum enim Deus hanc Vrbem miro amore complectatur, eam quam amat arguit & castigat, & licet toties fuerit direpta, tamen semper refloruit, merito Beatissimi Apostolorum Principis qui hic Sedem suam Apostolicam collocauit.

De ignibus Antiquorum de quibus meminerunt pauci Auctores exceptis quibusdam fragmentis & historijs.

QVoniam hanc de focis & ignibus materiam nemo vnquam satis distincte attigit, nos de ea scribemus, quam poterimus

breuiſsime, ſed quoniam non ita facile percipitur modus quo ſtruebant ignem antiqui Romani vtemur ad faciliorem captum noſtrorum exemplis recentioribus.

Agnoſcebant optime Romani quam vehementer noceat viſui ardor ignis ex prunis accenſis & iccircò excogitabant modum quo tanto malo poſſent mederi.

Præterea agnoſcebant quam eſſet periculoſum ignem circumferre de loco ad locum per diuerſas domus habitationes, & quam facile etiam camini ardeāt, è quibus aliquando viſum eſt magnum excitari incendium, & inde accendi domos contiguas cum maximo incolentium damno, nam ſi ſigno campanæ euocantur vicini & alij ad occurrendum flammæ ne augeatur, concurrunt plurimi qui ſpecie ferendi auxilij expilant domos. Et quamuis varij varios adhibent modos in ſtruendis ignibus vt in vaſis æneis & teſtaceis; nec hæc vaſa ſuo carent periculo, nam in ea ſæpius incidunt infantes, domiq; aliquando etiam fumos excitant qui plurimum obſunt ſanitati & præterquam quod camini hi & vaſa ſuo fumo denigrent parietes & alia viſu pulchra domi, quam ſæpiſsime excitant dolores capitis, pituitam alioſq; morbos, quot etiam quotidie videmus igne læſos, quot morbo caduco vel alio laborantes in ignem decidere qui quod ſæpius aliorum careant auxilio, nec ſeipſos poſſint ſubleuare, miſerandum in modum ardere & faciem eorum exuri cognouimus, ſane nuper vidi probam mulierem & pulchram alioquin, ſimili morbo laborantem in ignem incidiſſe quæ quod ſe iuuare non poſſet ſolo puero filio præſente retulit ex igne totam faciem exuſtam vnum oculum omnino amiſit, altero parum lucis videt, os habet adeo exuſtum, vt vix cibum capiat, fert malum ſatis laudanda patientia. Animalia quoque domeſtica quæ domi alimus, vt ſunt canes, & feles ſæpe ignem per domum circumferunt quem non ſatis caute ancilla domeſtica ſub noctem cooperuerat & ita ingens excitarunt incendium quo domus totæ arſerunt.

Hos modo ſtruendi focos quibus nos vtimur, vel agnouerunt veteres vel non ſi non, agnouerunt, felices, ſi agnouerunt optime fecerunt quod iis non ſint vſi, nec nobis tradiderunt imitandos. Quoties enim fumus ſolus è caminis erumpens inficit omnia etiam egregia, vt indicaui domus vtenſilia, oculorum aciem obtundit, picturas deturpat, & pannos è lano, vel lino abſumit interdum.

Multi vtuntur hippocauſtis ſiccis, ſed horum inuentio minimè

est probanda, fœtent enim, caput replent, reddunt homines pigros. & tardos hinc egressis aer circumfusus & frigidus non parum nocet, sunt qui fere nunquam egrediuntur hyeme, sed horum non pauci obiere cum primum ad vernum tempus rediere.

Soliti igitur erant Romani struere focum in fornace exigua, quæ à parte domus exteriori erat clausa, & per ductus & maiores, & minores & mediocres qui erant in parietibus constructi, vt fit in aquæductis, fornax emittebat calorem ad omnes domus partes; nam hi ductus per omnia cubicula,& habitationes excurrebant, reddebantq; per parietes calorem temperatum, vt fit in fornacibus quibus distillantur aquæ, è quibus ignis qui distat à vitris calorem emittit.Hic autem ignis hoc modo accensus,æqualiter, & vniformiter omnes domus partes calefaciebat non quidem ad modum hypocaustorum quæ prope astantibus reddunt nimium ardorem, distantibus fere nullum, sed ad modum caminorum qui extra cubiculum structi per parietem calefaciunt æquabili & temperato calore totum cubiculum lente, & non vi aliqua sic quoque ignis per hos ductus aerem cubiculi leniter calefaciebat nam calorem suum partiebantur ac distribuebant per habitationes absque vllo exitu & euaporatione, non enim per eos emittebat flammam, seu ignem; sed tantum aërem purum & calefactum, & ita fiebat vt ignis continuo ardens licet exiguus,clausas habitationes vt fit optimo temperato calore redderet calidas. Ad os istius fornacis apponebant epulas coquendas olis circumfixis aqua calida plenis, alijsq; necessarijs ad seruandas epulas calidas. coquebant itaque ad os fornacis maxima commoditate, & vtilitate sine periculo, sordibus, & fumo, & absque plurimis alijs impedimentis. Non itaque indigebant instrumentis ad calefaciendos cibos, lectos, pedes, & ad arcendum frigus, vel nimium ignis ardorem, nam vbique locorum erat calor æqualis, aerque temperatissimus & pro tempore frigidiori, vel calidiori subministrabant vel plus vel minus ignis, eoque modo temperabant ignem, vt temperare solent ventum vel aerem in follibus ad organa inflanda. qui eo est suauior & temperatior, quo est auctior ille & vehementior quo temperant folles fabri ferrarij.

Si hic modus struendi focum adhiberetur hodie à viris principibus & diuitibus esset res omnino laudanda, & facile iterum redigeretur in vsum, & liberaremur à mille incommodis, minus

expenderemus in ſtruendis focis. Etiamnum quibuſdam in locis horum ductorum videntur veſtigia; qui videntur aquæductus. Sed ſunt ductus iſtorum ignium quod clare perſpicitur ex eorum multitudine & etiam inflexione, & hæc dicta ſint de ignibus antiquorum.

FINIS.

Theatrum Pompei.



Theatrum Pompei, de quo ſupra pag. 19. fuit primum quod Romæ ex lapide ſtabile fuit constructum nam antea è ligno mobilia ſtruebantur, ſpectabant in eo 40. millia hominum, totum fuit à Nerone vna nocte inauratum in aduentu Mythridatis Regis Romam.

DE
ROMA VETERI.

QVi Romã in Roma quæris noua aduena Romæ
Et Romæ, in Roma, nil reperis media
Aſpice murorum moles, præruptaq; ſaxa,
Obrutaq; ingenti vaſta theatra ſitu.
Hæc ſunt Roma, viden, velut ipſa cadauera tanta
Vrbis adhuc ſpirent imperioſa minas
Vicit vt hæc mundum, niſa eſt ſe vincere, vicit,
A ſe non victum ne quid in Orbe foret.

CARMEN LAVDATISSIMVM FVLVII CARDVLI NARNIEN.

Roma viatorem ſiſtit & alloquitur.

Anguentem greſſum pauliſper ſiſte viator,
Et lege marmoreis carmina ſcripta notis.
Roma fui quondàm toto celeberrima mundo,
Marte, ſitu, ingenio, nobilitate potens.
Quippe triumphatum frenaui legibus Orbem,
Paruit imperio terra fretumq; meo.
Impoſitæ ſeptem nituerunt collibus arces
Totq; Arcus, Thermæ, Templa, Theatra, Domus.
Prorſus eram felix, ſi non perituram fuiſſem,
Et niſi ſors cunctas has rapuiſſet opes.
Reliquias quaſcunque vides, quæ diruta cernis
Mænia, ſplendoris ſunt monumenta mei.
Roma ego iam non ſum, perij, proprijſq; ruinis
Obruta ſum, gremio condor & ipſa meo.
Fruſtra igitur Romam Romæ tu quæris, abire
Iam potes hinc. Roma Roma ſepulta iacet.
Interea monitus perituras ne ſtrue moles
Cautior exemplo iam potes eſſe meo.
Carpe viam: volui ſcires hæc pauca. memento.
Vt meminiſſe mei, ſit meminiſſe tui.

ROMAE,
Ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ,
M. DC. XIX.
SVPERIORVM PERMISSV.

Sacré 25/11/59 fl. 10

104 S.,
7 Holzschn.
(incl. 1 doppelbl. gross.)

58 S., 1 Bl.,
18 Holzschn.

coll. XII. bl.

Lo